


Quaestiones criticae et grammaticae ad Gynaecia Mustionis pertinentes

Dissertatio inauguralis philologica

quam

ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine Gissensi rite impetrandos

scripsit



Joannes Medert

Hassus

Gissae MCMXI

Typis officinae aulicae et academicae Otto Kindt

Quaestiones criticae et grammaticae ad Gynaecia Mustionis pertinentes

---

Dissertatio inauguralis philologica

quam

ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine Gissensi ritė impetrandos

scripsit

Joannes Medert

Hassus

Gissae MCMXI

Typis officinae aulicae et academicae Otto Kindt

Ad philosophorum Gissensium
ordinem de hac dissertatione
rettulit Otto Immisch
11. IV. 1911.

Ottoni Immisch

Sacrum.

Quae praesidia mihi usui fuerint.

C. Sittl, Burs. Jahresber. 59 (1889), 12—14 (qui refert de editione Rosei).

C. Paucker, Lexikal. Zuwachs aus Sorani Gynaeciorum vetus translatio latina, Rhein. Mus. 38 (1883), 312—15.

J. Ilberg, Die Überlieferung der Gynäkologie des Soranos von Ephesos, Abhandl. d. sächs. Gesellsch. d. Wissensch., philol.-histor. Klasse B. 28 (1910) No. II.

H. Lüneburg und J. Ch. Huber, Die Gynäkologie des Soranus von Ephesus, übersetzt, kommentiert und mit Beilagen versehen, München 1894

M. Wegscheider, Geburtshülfe und Gynäkologie bei Aëtios von Amida (Buch 16 der Sammlung), übersetzt, Berlin 1901.

Janus Cornarius, Aëtius latinus (in *Medicae artis principes*, 1567).

Casparus Wolf, Harmonia Gynaeciorum sive de morbis muliebribus (in cuius initio primum editus est ‚Μοσχίων' cum annotationibus Conradi Gesneri), Basileae 1566.

Simon Januensis (Opus pandectarum Matthei Silvatici cum Simone Januense . . .), Venet. 1499 (ed. Georgius de Ferrariis de Monteferrato, cf. Meyer, Geschichte der Botanik IV 174), est bibliothecae Darmstadtiensis.

H. Rönsch, Itala und Vulgata, 1875.

— Semasiolog. Beitr. z. lat. Wörterbuch, 3 Hefte, 1887—89.

E. Wölfflin, Latein. u. roman. Comparation, 1879.

— Über die Latinität des Afrikaners Cassius Felix, Sitzungsber. d. Münchener Akad. d. Wissensch., philos.-philol.-histor. Klasse 1880, 381—432.

C. Sittl, Lokale Verschiedenheiten der latein. Sprache mit besond. Berücksichtig. des afrikan. Lateins, 1882.

O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache, 1883.

M. Bonnet, Le Latin de Grégoire de Tours, 1890.

P. Geyer, Krit. u. sprachl. Erläuter. zu Antonini Placentini Itinerarium, Augsburg. Progr. 1892.

O. Haag, Die Latinität Fredegars, Diss. Friburg. 1898.
F. Werner, Die Latinität der Getica des Jordanis, Diss. Hall. 1908.
Einar Löfstedt, Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität, in *Uppsala Universitets Årskrift* 1907.
C. Meister, De Itinerario Aetheriae abbatissae perperam nomini S. Silviae addicto, Rhein. Mus. 64 (1909), 337—92.
A. Fleckeisen, 50 Artikel aus ein. Hülfsbüchl. für lat. Rechtschreibung, 1861.
H. Schuchardt, Der Vokalismus des Vulgärlateins, III Bde., 1866—68.
M. Niedermann, Ē und Ĭ im Lateinischen, Diss. Basil. 1897.
G. Cohn, Die Suffixwandlungen im Vulgärlatein und im vorliterar. Französisch, 1891.
Archiv für latein. Lexikographie [= AlL] I—XV (1884—1908).
G. Gröber, Vulgärlatein. Substrate roman. Wörter, in AlL I—VII (1884—92).
E. Diehl, Vulgärlatein. Inschriften (Lietzmann, Kleine Texte), Bonn 1910. — Cetera suo loco citantur.

Editiones et Indices:

Caelii Aureliani de morbis acutis et chronicis libri VIII, ed. Amman 1709.
Μοσχίωνος περὶ γυναικείων παθῶν, iterum ed. addita versione latina F. O. Dewez, Viennae 1793.
Anecdota Graeca et Graecolatina, voll. II, ed. Val. Rose 1864 et 1870.
Plinii Secundi quae fertur una cum Gargilii Martialis medicina, ed. Rose 1875.
Oribasii versio latina Bernensis, ed. H. Hagen, commentatio Bernens. 1875.
Anthimi de observatione ciborum epistula, ed. Rose 1877.
Cassii Felicis de medicina ex Graecis logicae sectae auctoribus liber latinus, ed. Rose 1879.
Sorani Gynaeciorum vetus translatio . . ; ed. (cum additis graeci textus reliquiis) Rose 1882.
Marcelli Empirici de medicamentis liber, ed. G. Helmreich 1889.
Pelagonii artis veterinariae quae extant, rec. M. Ihm 1892.
Theodori Prisciani Euporiston libri III etc., ed. Rose 1894.
S. Silviae (= Aetheriae abbatissae, cf. Meister, Rhein. Mus. 64) peregrinatio ad loca sancta, rec. P. Geyer (in Corp. scriptor. eccles. latinor. Vindobon. vol. 39), 1898.
Claudii Hermeri Mulomedicina Chironis, ed. E. Oder 1901 (indices locupletissimi!).
Neue Bruchstücke der Quaestiones medicinales des Ps.-Soranus, ed. H. Stadler, AlL XIV (1906), 361—68.

Lexica:

Forcellini, Klotz, Georges, Du Cange-Henschel, Thesaurus linguae latinae [= Thes.], *A—De.*

Goetz, Corpus glossariorum latinorum [= Gloss.].

Georges, Lexicon der latein. Wortformen.

Diez, Etymolog. Wörterb. der roman. Sprachen.

Körting, Lateinisch-roman. Wörterbuch.

L. A. Kraus, Krit.-etymolog. medizinisches Lexikon, Göttingen 1844.

Praefatio.

Cum nuper *Gynaecia* Mustionis[1]) ad sermonis proprietates observandas accuratius perscrutarer, saepissime mihi oblatae sunt occasiones excogitandi vel emendationes vel coniecturas, in quibus erant, quas ad *Gynaecia* illa iterum edenda[2]) haud inutiles futuras esse spero. quapropter publici iuris eas facere mihi proposui. sed priusquam ad rem ipsam accedo, nonnulla mihi dicenda sunt primum de *Gynaeciorum* traditione, deinde de eorum, qui exstant, codicum auctoritate, tum de criticis quibus usus sum rationibus.

1) de Gynaeciorum traditione.

Quamquam *Gynaecia* Mustionis (hanc nominis formam alteri *Muscionis* adhuc usitatae praeferendam esse infra exponam) per totum Medium Aevum frequentissimo usu vigebant (v. praef. Ros. p. III sqq.), tamen quis ea composuisset et qua via ad hanc aetatem tradita essent diu vel ambiguum vel ignotum erat. qua de re Val. Rose, qui primus veram rei rationem recte perspexit, pluribus verbis in praefatione editionis suae egit, unde haec proferre mihi liceat[3]).

Mustio qui sexto fere saeculo p. Chr. n. floruisse videtur in Africa, sicut Afri fuerunt etiam Caelius Aurelianus et Cassius Felix qui saec. V opera graecorum medicorum in latinum transtulerunt et ipsi, ad obstetricum usum (v. praef. ipsius interpretis) composuit libellum re-

---

[1]) Sorani Gynaeciorum vetus translatio latina nunc primum edita cum additis graeci textus reliquiis . . . . . a Valentino Rose, Lipsiae 1882.

[2]) in Corp. medicor. graecor. vol. IV, cf. Ilberg, Die Überlieferung d. Gynäkologie des Soran. v. Ephes., p. 6.

[3]) cf. etiam Curtze, Burs. Jahresber. 40 (1884) p. 61 sq.

sponsionum duo secutus opera Sorani Ephesii, qui saeculo p. Chr. n. II medicus Graecorum fuit clarissimus. quorum operum graecorum unum brevius erat et ipsum responsionum libellus (*Cateperotiana* Must. p. 3, 14. 46, 3. 119, 5, i. e. κατ' ἐπερώτησιν libelli) nunc deperditus, alterum, quod *Triacontas* inscriptum esse Mustio in praefatione testatur, erat uberius atque minore ex parte ad hanc aetatem servatum est et a medico Reinoldo Dietz a. 1830 Parisiis repertum[1]). quo libro uberiore usum responsionum libellum se supplevisse ipse dicit interpres tribus illis locis, ubi *Cateperotianorum* mentionem facit[2]). qui quamquam multo brevius quam auctor graecus rem tractavit, tamen in rerum ordine satis accurate eum secutus nonnullos locos etiam ad verbum transtulit, quod in textu latino emendando saepius nobis summi erit momenti.

At neque Mustionem vertisse Soranum neque eius libellum latine primitus scriptum exstitisse ab omnibus diu credebatur. nam inde a saeculo XIV nomen, aetas, fontes, omnia oblivione obruta esse videntur et saeculis sequentibus Mustio, quamquam latini etiam codices saecc. IX—XVI exstiterunt, non notus erat medicis nisi a Graeculo quodam translatus qui libro inscripsit Μοσχίωνος περὶ γυναικείων παθῶν. quem ‚Μοσχίωνα‘ a Gesnero medico Turicensi repertum et emendatum illo mortuo discipulus et in munere academico successor Casp. Wolf in *Harmonia Gynaeciorum* (Basileae 1566) cum adnotationibus edidit Gesneri, qui tamen ipse iam adhibuerat eiusdem scriptoris codicem latinem (nunc Hafniensem = h). eundem „diversorum autorum“ librum latinum adhibuit etiam Wolf in *Harmonia* sua conficienda, in cuius initio ‚Moschionem‘ Gesneri posuit scriptorem non Graecum recentem, sed Latinum a Graeco quodam recente, ut ferebat aevum talium versionum ferax, verbotenus cum scribarum latinorum vitiis omnibus translatum (praef. Ros. p. III). idem iam Gesner recte per-

[1]) primum editum 1838, iterum ed. Ermerins 1859, tertium Rose 1882 una cum Mustione.

[2]) cf. etiam Ilberg. l. c. p. 75. 100.

spexerat, qui in eo tantum erravit, quod hunc libellum ex lingua latina ab aliquo (sc. Latino) graecae linguae non satis perito in graecam translatum esse ei ex compluribus interpretis erroribus (v. Ros. p. IV 2 sqq.) exorta est suspicio, cum re vera ita explicandi sint illi errores, ut dicamus vertisse Graecum aliquem latinae linguae minus peritum, codice usum simillimo Bruxellensi (= b quem habemus)[1]. sed etiam posteris saeculis non defuisse quibus quae inter Mustionem et ‚Μοσχίωνα' intercederet ratio manifestum esset inde apparet, quod in cod. b fol. 1r haec adnotavit manus saeculi fere XVII: *continet . . . . . Mustionis* (sic!) *librum gynaeciωn, qui graece sub moschionos nomine falso extat* (Ilberg l. c. p. 102[3]). recte etiam Dewez in praef. sua p. VI: „Recens ergo versio graeca est, ipsum antem opus antiquum, et circa Coelii Aureliani tempora locandum."

Tamen etiam postea homines docti de vera inter Mustionem et Moschionem ratione dubitare perseveraverunt. quae etiamnunc ambigua esset, nisi Rose a. 1863 codice Hafniensi invento rei lucem attulisset. qui codex unus testatur Mustionem vertisse de Sorano (praef. p. 3,11 *secutus soronum* h, om. b l). quae cum ita sint — quod paucis verbis repetere mihi liceat —, haec ratio inter illas translationes intercedit, ut dicamus Mustionem de Sorano, de Mustione Graeculum illum ‚Μοσχίωνα', Dewezium medicum de Graeculo transtulisse. sed non omnes viri docti cum Roseo de illa re consentiebant. Sittl[2]) quidem Moschionem (sic appellat Sorani interpretem, non Mustionem) semel atque iterum contendit fuisse Graecum qui commentarios medicorum graecorum tum usitatos latine retractaret. et Robby Kossmann muliebrium morborum medicus in libro suo *Allgemeine Gynäkologie*[3]) gravissimis Rosei argumentis plane neglectis demonstrare conatus est ‚Μοσχίωνα' Graecum,

---

[1]) Iterum ‚Moschionem' Byzantinum Dewez medicus Pragensis addita ipsius latina translatione edidit 1793.

[2]) Burs. Jahresber. 59 (1889) p. 12—14.

[3]) Berlin 1903.

quem ex ‚*Genetiis*' Caeli Aureliani hausisse verisimile esset, floruisse saec. fere VIII vel IX et eius libro postea Mustionem ad Gynaecia componenda usum esse! qua in falsa opinione medicus ille non solum usque ad mortem (a. 1908) perstabat, sed vel priore quam antea putaverat aetate Μοσχίωνα suum floruisse ratus in maiores etiam incidit errores, quos omnes Ilberg in commentatione illa sagacitatis plena plane tandem exstinxit, cum et ea, quae Rose protulerat, confirmaret, et quosdam eius errores ac dubitationes emendaret corrigeretque: „*Ich nenne den sonst gänzlich unbekannten Verfasser des einstmals viel benützten Büchleins vorläufig noch mit dem seit der zweiten Hälfte des Mittelalters üblichen Namen Muscio (auch Muscion oder Musio findet sich), obwohl er in der ältesten Handschrift (s. IX/X) immer Mustio heisst, will aber ausdrücklich hervorheben, dass der Name weder mit* Μοσχίων, *dem zufällig einmal bei Soranos (p. 273, 24 R.) und sonst erwähnten Arzt, noch gar mit einem Moses, wie allen Ernstes vermutet worden ist, irgend etwas zu tun hat. Wenn ihn jener byzantinische Übersetzer* Μοσχίων *nennt, so wollte er sich das lateinische Muscio nur mundgerecht machen*" (p. 6). praeterea Ilberg (p. 87), cum rectius quam Rose qua essent auctoritate codd. b l h perspexisset, emendavit locum illum II 17, 8 (p. 80, 18 R.), qui maximi ad nomen interpretis cognoscendum momenti est. putaverat enim Rose secutus codicem h a docto librario correctum, ‚Muscionem' (*muscion* l h, *mustio* b, *ego* ante nomen b l) illo loco perperam ut suspicabatur citatum eundem esse ac Μοσχίωνα medicum graecum[1]), qui semel a Sorano citatur (v. supra Ilberg.), et ex eodem illo loco Μοσχίων (latine *Muscion*) nomen in praefationem interpretis pervenisse. at Ilberg demonstravit cum Μοσχίωνι illo medico graeco Mustionis nomen omnino non cohaerere.

Quoniam traditionem *Gynaeciorum* Mustionis ex omni obscuritate nunc ereptam esse breviter exposui, iam de 2) de codicum auctoritate.

[1]) hic fuit discipulus Asclepiadis medici, qui Asclep. floruit Romae saec. a. Chr. n. I.

codicum auctoritate nonnulla dicam. habemus hos codices, quorum stemma habes p. 2 R.:

1) b = cod. Bruxell. no. 3701—15 membr., quem descripsit Ilberg p. 116 sqq. constat de foliis 65, quae continent Mustionem foll. 15^r—31^v s. IX/X exaratis.

2) l = cod. Laurent. 73, 1 membr. s. XI foll. 186^v—214^v.

3) h = cod. Hafniens. 1653 membr. in 4^0 scr. a var. man. litteris beneventanis s. XII foll. 3^r—25^v, quem descripsit Rose praef. p. XVIII not. 21.

4) cod. Palatino-Vaticanum lat. 1304 s. XIII, qui continet Mustionis exemplar ex textu codicis h exscriptum (cf. Ros. praef. p. IX.). qui p littera ab Ilbergio designatus est (p. 104); equidem praefero P; utor enim secutus editorem principem litteris maioribus ad distinguendos codices recentiores a vetustioribus.

5) cod. Cantabrigiens. collegii S. Joannis bibliothecae D. 4 s. XIII „ab erudito scriptore ad fidem aeque recensionis Hafniensis conditum, ita tamen ut integris novoque partim ordine suppletis interrogationibus quas omiserat h, Florentinum simul exemplar (l) aut quod ei simillimum fuisset in subsidium doctae cuiusdam emendationis adhiberet“ (Ros. ibid.). littera C eum signavi. — Eiusdem confusionis (h l) vestigia Rose invenit in secundo libro codicis P in ceteris fidelioris (ibid. p. X).

6) cod. Vatican. 6337 (= V) fol. min. chart. s. XVI, qui foll. 40 sqq. inter apographa ex cod. l facta Mustionem etiam continet f. 94—136.

7) cod. Monac. latin. 161 s. XIII/XIV, qui continet etiam schemata picta (Ilberg p. 92); littera M signari potest.

Codices P C V, cum essent recentiores, nihil omnino ad textum constituendum valere suo iure editor princeps contendit. sed quod cod. h „ansae totius negotii“ (praef. p. VIII) ei fuit, homines docti iure dolebant. rectissime enim iam Sittl (Burs. Jahresber. 59, 13): *„Eine weitere Durchmusterung des Textes ergibt, dass h, welchen Rose leider bevorzugte, ein neues Exempel ist von der planmässigen „Verbesserung“, welche seit dem XII. Jahr-*

hundert[1]) *über die alten codices der Mediziner hereinbrach und in ihrer Art vollkommen berechtigt war, aber jetzt kritisch wertlos ist*"[2]), et paulo infra: „*Nur muss man die Mühe nicht scheuen, in den apparatus criticus herabzusteigen und nach den Lesarten von b l, besonders aber b, dem ältesten codex, zu forschen.*" similiter Ilberg p. 6: „*Muscio, dessen ältester Überlieferung im Bruxellensis (b) der erste Herausgeber freilich nicht ganz gerecht geworden ist* eqs." correxit autem ita eruditus codicis h librarius textum Mustionis, ut pro posterioris latinitatis proprietatibus, quas fideliter servat b, saepissime poneret formas apud classicos qui dicuntur scriptores usitatas. praeterea autem Soranum quoque graecum adhibuisse videtur, ex quo et supplebat et corrigebat Mustionem vel eius quibus usus est codices. quod apparere videtur ex his exemplis: p. 5, 8—6, 13 multa solus tradit h, quae Rose uncis inclusa quamvis invitus (v. app. crit. p. 5, 10) inserenda duxit in textum. quae accuratius consideremus: exstant responsiones duae ad qu. 2, quarum unam tradit h (om. b l), alteram b l (om. h). secundum ea quae modo de codicis b auctoritate exposui (cf. etiam infra p. 16 sq.), praeferenda sunt ea quae codicibus b l produntur. correxisse autem ideo videtur auctor codicis h — de suo, ut videtur, neque enim quidquam habet Soranus quod congruat —, ut efficeret responsionem magis cum quaestione congruentem quam congruit ea quam Mustio ipse videtur scripsisse.

Post vers. 10 Roseo nonnulla omittere videntur b l, non mihi, cum aliis quoque locis (cf. infra ad p. 14, 12 et 15, 8) sermone multo breviore usus sit interpres quam Soranus. interpolavit autem haec ad verbum fere auctor codicis h ex Sor. p. 172, 19. 21—24 (τίς ἐστιν ἐπιτήδειος πρὸς

---

[1]) Rectius scripsisset „seit dem XI. Jahrhundert", cf. ea quae paulo infra de cod. l (s. XI) dicta sunt.

[2]) De similibus correctionibus ad scholae praecepta accommodatis cf. Werner, Die Latinität der Getica des Johannis, Diss. Hall. 1908, p. XV. Einar Löfstedt, Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität p. 29, adn. 1.

τὸ γενέσθαι μαῖα; . . . ἐπιτήδειος δέ ἐστιν ἡ γραμμάτων ἐντός, ἀγχίνους, μνήμων, φιλόπονος, κόσμιος, καὶ κατὰ τὸ κοινὸν ἀπαρεμπόδιστος ταῖς αἰσθήσεσιν, ἀρτιμελής, εὔτονος): *Quae est aptissima*[1]) *quae obsetricem*[2]) *facere potest (possit* Rose*)? principaliter quae litteras novit et habet ingenium praesens et memoriam, studiosa, munda, in universo iam corpore integra, fortis et laboriosa.* — apud Mustionem (i. e. in codd. bl) responsionem 2 *(quod ab ipsa obsetrice exerceatur quae scit mulieres ratione cognoscere)* subsequitur quaestio (4 apud Ros., quam habet etiam h) *Quid est obsetrix?* qua ad unum brevissime contrahit Sorani capita I (τίς ἐστιν ἐπιτήδειος πρὸς τὸ γενέσθαι μαῖα = I 3 Ros.) et II (τίς ἀρίστη μαῖα = I 5 Ros.: *Quae est melior*[3]) *obsetrix*) ita: *femina omnium* (om. h) *muliebrium* (h, *mulierum* bl) *causarum docta, etiam medicinali exercitatione perita* (∼ Sor. p. 173, 25—174, 2), *quae possit universarum valitudines competenter curare* (∼ S. 174, 2—5) *ita ut non sit turbulenta* (ἀτάραχον ἀκατάπληκτον ἐν τοῖς κινδύνοις 174, 12) *nec verbosa nec avara* (ἥσυχον ἔχουσαν θυμὸν . . ., ἀφιλάργυρον . . . 174, 20—23), *sed sapiens et sobria* (σώφρονα δὲ καὶ νήφουσαν 174, 19 sq.) *et taciturna* (174, 20), *nec* (*et* bl) *superstitiosa* (ἀδεισιδαίμονα 174, 23—25), *quae sua sollicitudine mulieres in partu gubernet* (b, *-nat* l)[4]). quae inde a verbis *quae possit* usque ad finem omisit h, qui solus ex eodem Sorani capite excerpta praebet pleniora quidem sed non genuina haec (= qu. 5 Ros.): *Quae est melior medica* (C, *medicina* h P, *obstetrix* Rose, = S. 173, 21 τίς ἀρίστη μαῖα)? *quae exercitata est medicinalibus actionibus* (∼ S. 174, 2—5), *cum prudentia iustissima* (∼ S. 174, 5 sq.) *et commune et quod urget providens et horum dili-*

[1]) *aptissima* superlativus = ἐπιτήδειος positivus, cf. infra ad p. 81, 2. item dicitur p. 21, 11 *locus aptissimus partui* ∼ S. 236, 7 οἶκόν τε ἐπιτήδειον.

[2]) de hac forma (***obstetricem*** Rose) cf. infra ad p. 3, 1.

[3]) ***melior*** comparativus = ἀρίστη, cf. Ros. Anecd. II 204 ***melior*** = ***optimus,*** praeterea Wölfflin Comparation p. 68 sqq. Rönsch Ital. 417. Werner Iordan. p. 32.

[4]) Illa verba mea quidem sententia haud omittenda erant in definitione, qua quid sit obstetrix definitur.

gentiam coniungens (= S. ib. 6 sq.), *quae componere* (de hac coniectura Immischii cf. infra ad p. 6, 9) *adunatim possit et per partes dividere* (nihil cum his congruere videtur apud Soranum, ubi corrupta sunt 174, 7—9) et *accidentia mitigare propter insecutionem causae* (= S. 174, 11), *non iracunda nec turbulenta* (~ S. ib. 12), *compatiens* (συμπάσχουσαν ib. 14), *solida* (εὔτονον ib. 17), *pudica arguta* (~ σώφρονα δὲ καὶ νήφουσαν? S. 174, 19 sq.), *quieta* (ἥσυχον κτέ., ib. 20—22), *prudens animosa* (~ ἀδεισιδαίμονα? ib. 23—25), *nec avara* (ἀφιλάργυρον, ib. 22). quae non genuina esse etiam inde videtur apparere, quod nusquam alibi apud Mustionem occurrunt et *medica* (v. Georg. s. v.) pro *obstetrix* et *accidentia* pro *symptomata* (*sintomata* codd., p. 106, 3. 109, 5 al.). — quae cum ita sint, in apparatum criticum releganda sunt omnia quae uncis inclusit editor princeps, contra in textum inserenda quae tradunt bl post *perita* p. 6, 5. pariter interpolationes praebet h p. 84, 14—85, 6 (cf. infra ad p. 84, 14 et 79, 16), fortasse etiam p. 93, 19—24.

Praeterea correxisse videtur librarius doctus codicis h ex Sorano hos locos, quos inspice quaeso in appar. crit.: p. 7, 5 *subiacet autem vesicae, superiacet longaoni* coll. S. p. 176, 2 et ips. Must. p. 55, 7). — p. 10, 3 *minores . . . quam masculi* coll. S. 179, 12. — p. 17, 13 *cum octavus mensis transierit* (*in nono mense* b l) coll. S. 223, 21. — p. 48, 13 *sicut* = καθάπερ S. 303, 23 (*hoc est* b, *id est* l). ib. 14 *et steriles* add. h, = καὶ στεῖραι S. 303, 25. — p. 62, 18 *et quasi foras exire quaerit* solus add. h coll. S. 327, 13 (ἔξω). — p. 79, 13 *et femoribus*[1]) add. h coll. S. 352, 11 (τοῖς μηροῖς). — p. 91, 3 *ad reclinatorium* (*a[d] capite lecti* bl) h = τῷ κλινιδίῳ S. 363, 9. — p. 94, 14 *substrato scil. manibus panno* coll. S. 244, 6 sq. ἐπὶ χειρῶν μιᾶς ὑπηρέτιδος δεῖ τιθέναι τὸ βρέφος ὑπεστρωμένου ῥάκους (ubi falso videtur intellexisse ἐπὶ χειρῶν). — quibus omnibus perspicuum est non fontem esse codicem h, sed auxilium tantum cautissime adhibendum.

[1]) Mustio ipse scripsisset non *femoribus*, sed *pedibus*, v. append. infra s. *pes*.

Quaedam docti correctoris vestigia occurrunt etiam in cod. l, qui hac ratione medium inter b et h locum mihi obtinere videtur; nam modo codices b l, modo h l in apparatu critico invenies coniunctos, rarius b h. ceterum l nonnullis locis emendatione arbitraria corruptus est (cf. adn. Ros. ad p. 34, 2). scriptorem autem codicis h doctum fuisse etiam inde apparet, quod verba graeca, quae in codd. bl ignorantia scribarum mutila esse solent, rectius tradit interdum graecis etiam usus litteris (p. 7, 2. 9, 4. 6 ubi et ipse editor cum irrisione: „doctus nimium scriptor codicis h"); in graecis *ch th ph rh* litteram *h* om. b (qui semper habet *c t f r*)[1]), restituit eam cod. h et interdum l (cf. ind. Ros. 156 s. *h*).

Quod de codicum ratione dixi, id nunc probare mihi liceat exemplis: p. 3, 3 habent *omnia in latinitate sibi translata* b l, h secundum usum classicum corr. *latinitatem*. — ibid. 10 *licet . . . . transtuli* b l, *transtulerim* h (cf. p. 47, 3 *licet . . . . debent* b l, deest h). v. infra ad p. 3, 10. — p. 17, 14 *iosu versu* (*versum* l) b l, *inferiores partes* h; cf. tamen ind. 159. — p. 21, 9 *teporationes* (verbum novum, cf. Paucker, Rh. M. 38, 312): *temperationis* b, *vaporationes* l h. — p. 30, 20 *talem cibum . . . . qui potest* (Ros. cum b l, *possit* h). — p. 31, 16 *de mamma nutritur* (Ros. cum b, *a mamma nutritur* l h). — p. 33, 2 textum ex sciola interpolatione profectum praebent l C, v. adn. — ib. 5 textum libere mutat h lacuna exstante in l, non in b. — p. 35, 3 *plus a iusto* l Ros. (cf. ind. 149), *plus adusto* b, *plus quam debent* h. — p. 51, 21 *parum sanguine* ⟨*m*⟩ b, *parvum sanguinem* l, *parum sanguinis* h. — p. 59, 22 *in cubiculo calido et claro* (*claro* b l, *lucido* h). —

3) de criticis quibus usus sum rationibus.

Sed longum est plura exempla afferre: infra quae his exemplis illustrare volui, ea saepe confirmari invenies. restat ut paucis rationes, quas in textu emendando secutus sum, exponam. profectus sum a rectiore illa codicum aestimatione, qua respecta codicis b antiquissimi quam maxime

---

[1]) cf. Schwan-Behrens, Altfranzös. Gramm. § 29, 3.

secutus sum regulam. cuius lectiones interdum confirmantur linguarum quas nos romanicas dicimus formis, sive illae etiamnunc exstant sive eas aliquando exstitisse ex illarum linguarum consensu coniectum est a viris earum peritissimis, de qua re optime meruit Gröber, *Vulgärlateinische Substrate romanischer Wörter,* in Al L I—VII (1883—92). parum enim has linguas neo-latinas respexisse videtur editor princeps[1]). nam quamquam difficile est diiudicare, utrum illas formas romanicas ipse scripserit Mustio an novaverint librarii, tamen in textu Medii Aevi ineuntis, potissimum quotiens h codex docte correctus ipse quoque eas praebet, defendendas atque restituendas eas esse censeo[2]).

Praeterea graecum Sorani textum adhibebam cum latino comparandum, qua in re summopere mihi profuisse profiteor translationem Sorani germanicam a Lueneburgio philologo et Hubero medico curis coniunctis editam. sed traditionem ‚Μοσχίωνος', qui per ignorantiam saepe etiam vertit corruptelas codicis cuiusdam codici b simillimi (cf. supra p. 10), non multum valere ad textum latinum recensendum rectissime statuit iam Ilberg p. 113 sq.

Ceterum quaecumque de posterioris latinitatis proprietatibus viri docti intra hos proximos triginta annos cognoverant quantum potui in opere meo adhibere studebam.

---

[1]) cf. Sittl l. c. 14 et ibid. 40 (1884) 341: „Entschieden mit Unrecht corrigiert Rose einen Romanismus" scil. in Cassio Felici edito a. 1879.

[2]) Hic fortasse opportune adnotatur Mustionem verbis his (p. 3, 18 sqq.): *his autem* (scil. libris Sorani) *multo simplicius volui loqui et, ut verius dicam, muliebribus verbis usus sum, ut etiam inperitae obsetrices scilicet* (b, *licet* l h) *ab altero* (b h, *altera* l) *sibi lectam rationem facile intellegere possint* non dicere, se usurum esse formis vulgaribus vel recentioribus, sed spectant haec verba ad vocabula tantum graeca artis medicae: *inperitae obsetrices* i. e. *litterarum graecarum* (3, 2) *et rationis lectionis* (3, 4).

Incipiam ut supra indicavi a nomine interpretis symbolas meas criticas. duabus enim de causis nomen *Mustio* in nominis formas *Muscio* vel *Muscion* (h l in praef. et II 17, 8) transisse puto, quarum unam crediderim esse hanc, quod omnino a saeculis fere V/VI in verbis pronuntiandis *c* littera (antea idem ac *k*) ante *i* sonum nostrae *z* consonantis similem acceperat (Landgraf, Über die Aussprache von *ci* und *ti* im Lateinischen, Blätt. f. d. bayr. Gymnasialschulw. 33 (1897), 226—230), quo factum est ut *ti* et *ci* syllabae non satis distinguerentur: „Der Lautwandel von *c* zu *ts* zog aber noch weitere schwerwiegende Folgen nach sich, nämlich die Anähnlichung dieses assibilierten *c* vor *i* an die Aussprache der Lautverbindung *ti* + *Vokal* = *tsi* (z. B. in *nuntius*), wodurch die bis in die letzten Dezennien unseres Jahrhunderts hineinreichende grenzenlose Verwirrung und Verwechslung der Silben *ci* und *ti* bezüglich ihrer Orthographie herbeigeführt wurde“ (l. c. 229). ibid. 230: „Die nächste Folge davon war die in der Schrift auftretende Verwirrung der Silben *ci* und *ti*. So führt Bonnet aus Gregor von Tours p. 171 folgende Verwechslungen an“ (quorum exemplorum nihil afferam nisi nomina propria *Quinciani, Scycia, Marcialis*). ibid. paulo infra: „Im Mittelalter nahm diese Verwirrung immer mehr zu und noch die in der ersten Hälfte unseres Jahrhunderts gedruckten Textausgaben lateinischer Schriftsteller legen von diesem Wirrwarr Zeugnis ab“. cuius perturbationis alia exempla (saec. VII) afferunt Haag, Die Latinität Fredegars, Diss. Freiburg. 1898, §§ 43—44. Pirson, Le latin des formules mérovingiennes et carolingiennes, Roman. Forschung. 26 (1909), 845 (ex codd. saecc. IX et X).

Accedit quod librarii docti codicum lh nomen huius Mustionis cum nomine Μοσχίωνος medici graeci (v. supra p. 11) cohaerere putavisse videntur. illi enim sententiae vel maxime favet scriptura *Muscion* (lh II 17, 8). maxime autem commendatur forma *Mustio* auctoritate optimi codicis b, quem secutus etiam Ilberg restituit *Mustio* II 17, 8 (l. c. 87; cf. etiam supra p. 10 et 11). — de etymologia vero nominis quod quidem eruere potui, infra exponam in appendice.

ad p. 3, 1 *obsetrix* semper praebent codd. blh, semel *ossetrix* h (v. ind. 162). Rose sine necessitate omnibus locis restituit *obstetrix* formam classicam secutus scriptorem eruditum codicis C (cf. praef. editor. p. IX). Gloss. formae *obsetrix* haec exhibent testimonia: IV 371, 3 et V 470, 52 *obstetrix quae corrupte obsetrix nuncupatur.* V 508, 16 *obstetrix quae obsetrix nuncupatur et parturientibus subvenit[ur].* ibid. 11 *obstetrix* (*t* post *s* add. m. 2) *quae parturientibus praeest.* III 29, 43 et 296, 33 μαῖα *obsetrix.* cf. Append. Prob. (Heraeus AlL XI 325) *obstetrix non opsetris.* quam formam e codd. et inscrr. afferunt Loewe Prodr. Gloss. 423 et Heraeus l. c., cf. etiam Gloss. nom. p. 145. ceterum ipse Rose in appendice p. 131—139 semper retinuit scripturam *obsetrix,* quam in textu etiam Mustionis dicit retinendam Sittl (Burs. Jahresber. 59, 13) et adhibuit semper Ilberg in commentatione sua (p. 75[3]. ibid.[5]. 76[1]. 90[3]. 91. 98, al.). — similiter formae *obsetricalis*[1]) et *obsetricare*[2]) (sic etiam Ilberg p. 89) restituendae sunt (ubi Rose *obst*..., v. ind. 162), quae omnes exortae sunt ex dissimilatione quam nos dicimus, cf. graece Νικόσ(τ)ρατος sim., de qua re novissime egit Nachmanson, *Beitr. z. altgriech. Volksspr.,* Uppsala 1910, 15 sq.

ad p. 3, 10. *licet . . . transtuli* (bl, *-tulerim* Rose cum h) retinere velim, cf. *licet . . . debent* p. 47, 3. Theodor. Prisc. 2, 111 (p. 214, 1 R.). multa indicativi cum *licet* coniuncti affert exempla Sittl, Lokale Verschiedenheiten der

---

[1]) cf. *meotici obsticale* (= μαιευτική *obst<etr>icale*) Gloss. III 206, 29.

[2]) *obsetricantibus* Tert. ad nat. 2, 12 cod. A (cf. Heraeus l. c.).

latein. Sprache p. 134. cf. etiam Werner, Die Latinität d. Jordan. p. 105[2].

ad p. 3, 13. Aut *hac ratione* (*hanc rationem* (*-ne* l) b l, om. h) aut *prae magnitudine* (h, om. b l) omittendum esse videtur. sine dubio hunc locum rectum praebet h, quoniam b l (*ut — exilarare* p. 4, 34) tradunt textum per interpolationem, quam optime fieri potuit, accommodatum ad aliquem sensum, cui non aptum fuit illud *prae magnitudine.* omittendum ergo est *hac ratione.*

ad p. 3, 14. *lassari* Rose *(ex(h* l)*ilarare* b l, *laxare* h, *lassare posset* Wolf in „Harmonia Gymnaeciorum" p. 2*)*. equidem scribere malim *lassare* intransitive usurpatum (exitum *-are* codd. omnes!), sicut *lassat* pro *lassatur* dictum scribendum esse censeo p. 38, 20 (v. infra ad loc.). ceterum cf. ipsum editorem in ind. 167 s. *x* = *s* : „*laxare* i. e. *lassare* h prf. ut *lassa* (ἀσθενής Sor.) = *laxa* h I 63". nam constat inter viros doctos multa verba a classicis transitive tantum usurpata a posterioribus etiam intransitivorum vel reflexivorum loco poni[1]), cf. Petschening AlL III 150. 284. V 577. Wölfflin ibid. IX 515—517 (qui conferre iubet Diez, Grammatik d. roman. Sprach. III[3] 193). X 1—10. id. Die Latinität des Cassius Felix p. 417. P. Geyer, Krit. u. sprachl. Erläut. z. Antonini Placentini Itinerarium, Progr. Augspurg. 1892, 18—21. Bonnet, le Latin de Grégoire de Tours, 628—633. Werner (Jordan.) 86. Einar Löfstedt, Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität, p. 75 sq. 86 sq. 90 sq. 104. apud Mustionem praeterea invenimus hoc modo usurpari: *dilatare* I 11 (cf. ind. 154). *conglutinare* p. 13, 7 et 113, 9 (v. infra ad 13, 7). *movere* I 36 (cf. AlL X 9. *movere* = *se movere* restituit Helmreich AlL XII 314 apud Cael. Aur. acut. 1, 14, 105). *imminuere, minuere, deminuere,* v. infra ad p. 34, 10. *coagulare* I 121. 125 (cf. ind. 152). *mergere* I 66 a (p. 24, 5), cf. Geyer l. c. 19. *lavare* p. 35, 21 (v. infra). *conferre* p. 46, 6 (Thes. praeter hunc locum affert illius usus exem-

[1]) sicut etiam in posteriore graecitate, cf. Norden, Kunstprosa II 609. Wilhelm Schulze, Graeca Latina (μένειν, ποιεῖν sim.).

plum Gregor. Tur. Franc. 6, 44. quibus duobus testimoniis addit Ammian. Marc. 17, 13, 18 Löfstedt l. c. 87). *refrigerare* (v. append. s. v.). *resumere* (v. append. ibid.). *rumpere* (v. ad p. 34, 10).

ad p. 3, 20. *scilicet* (b, *licet* l h Rose) *ab altero* (b h, *-ra* l R.). ita scribere velim. nam *scilicet* aptius convenit et sensui huius loci et usui Mustionis, qui saepe usurpat hanc particulam. praeterea hoc loco omnino non qui legit feminam esse oportet. — *altero* e. i. q. *alio* (grammaticorum de differentia inter *alter* et *alius* testimonia profert Thes. I 1623, 71 et 1730, 80), nam in posteriore latinitate et in linguis romanicis (val. *alt,* it. *altro,* francog. *autre*, hisp. *otro,* = alius) *alter* cognato suo *alius* in iura successit (Thes. s. v.). item *altera* pro *alia* legitur p. 76, 17: *nulla altera (causa),* cf. Rönsch, Semasiolog. Beitr. II 2. vice versa *alia* legitur pro *altera* p. 7, 12 (ubi agitur de *duabus tunicis*): *una foris . . ., intus vero alia.* quae confusio (i. e. *alius* pro *alter*) inde a Plaut. occurrit, bis apud ipsum Cicer., semel apud Caes., saepius apud posteros, v. Thes. I 1649, 76.

ad p. 5, 1. Recte Rose *oportet (oportet universam* h, *omnia* b l*)*, cf. ind. 162 s. *omnes.* quo ex mendo codd. vestutiorem fortasse exortum est illud *universam,* quod solus habet h; cf. etiam Sor. p. 171, 1 sq. repudianda ergo est lectio *omnia(m),* quam proponit Sittl l. c. 13.

ibid. 3. *unam quae de obsetrice tractat* (Rose) retinendum est contra Sittl. 14.

ibid. 5. *dividere* (b l, *-imus* Rose cum h) defendo, quia pendere videtur ex *oportet,* non quo pro „infin. absol.“ habendum sit ut vult Sittl l. c.; cf. ind. Ros. 163 s. *oportet.*

de p. 5, 8—9. 5, 11—6, 2. 6, 6—13 in textu omittendis v. supra p. 13—15.

ad p. 6, 3. *est* (l h Rose, *erit* b) retinendum est contra Sittl. *erunt* pro *est* habet b, ut aliud afferam exemplum, etiam p. 15, 10. minime autem definitioni convenit futurum, et facillime compendio perperam soluto nasci potuit mendum.

[ibid. 9. Equidem lacunam ab editore relictam cum C secutus Thes. (v. s. *adunatim*) complere volueram scribens

in tempore (*pore* cum albo h, *pore* P, *intēpr̄e* C, d sunt b l). magis autem mihi arrident haec, quae adnotavit Immisch praeceptor doctissimus: „Ich gebe zu erwägen, ob nicht *componere (compōre)* das richtige ist. von Plato an (Phaedr. 265[d]) sind als die zwei geistigen hauptfunktionen unterschieden: εἰς μίαν ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα und τὸ κατ' εἴδη δύνασθαι διατέμνειν κατ' ἄρθρα. auch die hebamme soll den wahrnehmungen gegenüber richtig ‚v e r b i n d e n' und richtig ‚s o n d e r n' können, *componere adunatim* und *per partes dividere*. nur so scheint mir *adunatim* verständlich, es entspricht dem *per partes*." quae coniectura eo minus mihi displicet, quod desiderari videtur verbum in lacuna. — ceterum non iure Thes. adverbio *adunatim* (quod est ἅπ. εἰρ.) dubitationis signum videtur apponere, cf. Paucker, Rh. M. 38, 313. *adunare* et *coadunare* de inscriptionibus africanis approbat Kübler AlL VIII 184, de Geticis Jordanis Werner 49. *coadunatim* de Oros. VII 27, 6 profert Funck AlL VII 487, cf. etiam Thes. s. vocc.]

ibid. 16. Recte *efficiat* l (*-ciet* b, *-cit* Rose cum h). pariter *quod . . . . efficiat* legitur p. 7, 3 et saepius *quod* c. coniunctivo coniungitur apud Mustionem sicut omnino in posteriore latinitate (AlL III 53. Haag 91. Bonnet 686. Werner 97). — similiter male corr. h in vers. 18 *iacet*, ubi recte b l Rose *siquidem . . . iaceat*, nam *siquidem* coniunctio causalis plerumque cum coniunctivo coniungitur apud Mustionem (p. 25, 14. 40, 9 al.), rarius cum indicativo (p. 13, 8. 16, 23), cf. ind. Cass. Fel. 253 R., Helmreich AlL XII 183 sqq., 320 (apud Cael. Aur.), AlL III 53, Werner 110[2].

ad p. 7, 6. Rose omnibus locis praebet formam classicam *vesica*, quamquam numquam eam habent codd. b l antiquiores (v. ind. 167): *visica* vel *vissica* semper b, *vessica* semper fere l, quas scripturas plerumque in formam classicam correxit librarius doctus codicis h, qui tamen et ipse interdum habet cum l *vessica*. quo in scribendo vocabulo omnino maxima fluctuatio invenitur in codd. inprimis scri-

ptorum recentiorum, qui saepissime tamen praebent formam *vessica,* quam etiam ex linguarum romanicarum consensu elicuit Gröber AlL VI 141: it. *vescica* et *vessica,* sard. *buscia,* val. *besica*[1]), raet. *veschia,* prov. *vesiga,* francog. *vessie,* hisp. *vejiga,* port. *bexiga.* de forma *vensica* v. Georg. (Wortform.) s. *vesica* et M. Niedermann, Ĕ und Ĭ im Lateinischen, Diss. Bas. 1897, 51. quam formam assimilatam *(vessica)* approbat Georg. l. c. exemplis depromptis de Plaut. Pers. 90 (cod. F). Mart. 4, 49, 7 (codd. optt). Prisc. 3, 34 (cod. G). Plin. Sec. 2, 17 (cod. g). Gargil. Martial. medic. 10 (cod. g). quibus argumentis ego addo haec: *vissicas* (trad. *vis siccas,* ubi *vessicas* male corr. editor) Chiron p. 17, 25. apud Marc. Empiric. *vessica* solum et unum legitur (37[ies] et semel *vessicariae,* v. ind.). codd. Cassi Fel. plerumque praebent *vessica,* ter etiam *vescica* (it. *vescica!*). in Ps. Plini medicina g saepe habet *vessica,* d *vesica.* codd. Gargil. Martial. variant inter *vesica, vessica, vissica,* item Anthimi codd. *vissica, visica, vesica* (v. ind. 58, ubi Rose: „*vissica* Oribas"). cf. Oribas. (Hagen) p. 17, 27. *visica* formam praebet quoque defixion. tabell. 190, 11 Audoll.[2]) saec. p. Chr. n. II (in Latio inventa), ubi item sine necessitate formam classicam correxit editor. Gloss. saepius exhibent formam classicam, *vessica* autem III 13, 16. 311, 66. 351, 50. V 399, 31. — quibus omnibus comparatis retinendas esse censeo *visica* et *vissica,* quas formas praebet optimus cod. b.

ibid. 8. *magis* (h, om. b l?) retinendum puto coll. Sor. 178, 21 κατὰ τὸ πλειστοδυναμοῦν. praeterea quod sequitur *quidem* illud *magis* quasi desiderare videtur. contra cum b 1. m. (et h) omittendum est *multis* (b[c] l), quod per vocabulum *pulpis* fortasse in codice nostro h simili inventum decepti addiderunt corrector b et l. binae enim tantum arteriae venaeque sunt, cf. Sor. I 11.

---

[1]) Formam latinam vulgarem *besica* approbat Georges, Lex. d. lat. Wortform., de Martyr. et Cassiodor. de orth. VII 169, 9.

[2]) Aug. Audollent, Defixionum tabellae quotquot innotuerunt tam in graecis orientis quam in totius occidentis partibus praeter atticas in Corpore Inscr. Atticar. editas, Paris. 1904.

ibid. 14. Recte Sittl p. 14 proponit *ad se (a se* b, *in se* l, deest h, *inter se* Rose*)*. cf. πρὸς ἀλλήλους Sor. 180, 13; ceterum vide infra ad p. 95, 7. — pariter p. 11, 14 b habet *a modicum, a modico* l, *in modicum* Rose cum h, ubi recte videtur correxisse *ad modicum* Sittl l. c.

ad p. 8, 4. *angula* (b h, deest l, *anguli* Rose). neutrum retinere malim (cf. Sittl 14). multa enim substantiva in *-us* exeuntia in posteriore latinitate in neutrum genus transisse notum est, cf. Rönsch, Itala und Vulgata 269—272. — Thes. generis illius vocis neutrius affert exempla haec: *angulum,* n. Grom. 345. Schol. Arat. Lat. p. 224 Maass — omisso tamen hoc Mustionis loco.

ibid. 8. Legendum est *congustias* (b l h, *angustias* Rose), cf. Sittl 14. quam formam novissimis demum annis viri docti eruerunt, de qua Thes. vol. III 1384, 12: „*co(a)ngustia* a *co-* et *angustia:* ubique legitur forma contracta *cōngustia.* i. q. *angustia.*“ afferuntur ibi duo praeterea Mustionis loci, ubi, quamquam illic b habet *angustia*, Thes. vult *congustia,* suo iure ut videtur, cum vel codd. docte correcti praebeant formas recentiores semel etiam a cod. antiquissimo probatas. sunt autem loci p. 32, 21 et 82, 1. Thes. praeterea affert Jordan. Get. 33, 167 (cf. Werner 126), Leg. Visig. 8, 3, 9 tit. — ceterum aqud medicos illius aetatis *angustia* vox non usurpari videtur nisi translate (v. exempla a Thes. vol. II 60, 11 allata), sicut iam Cicero dixit (de orat. 3, 181) *animae interclusio atque angustiae spiritus.* item Cael. Aur. chron. 3, 2, 15 *animi angustia, iactatio.* Oribas. syn. 1, 8 *evacuetur usque ad angustiam* (λιποθυμίαν). 1, 9 *angustias incurrunt.* 1, 16. 17 al. similiter etiam Plin. nat. 21, 160 *urinae angustiis,* Garg. Mart. 54 *urinae destillantis angustias.* sensu translato ut praecipue apud Ecclesiasticos quoque occurrit *angustia* (v. Thes. s. v. IV), ita etiam in linguis romanicis non conservatur nisi significans angorem: it. *angoscia,* francog. *angoisse,* hisp. *congoja* (a forma *congustia!*).

praeterea cf. Thes. s. *coangustatio, coangust(i)o, co(a)ngustus,* quod adiectivum ipsum quoque restituendum est

apud Mustionem (*angustus* Rose) p. 9, 2 et 77, 11 (ubi in Thes. perperam adscribitur 17, 11), de quo Thes.: „praeter Cassiod. in psalm. 118, 45 codd. optimi ubique formam contractam *cōngustus* tradunt", cf. Heraeus AIL XV (1908) 575 sq. — *congustus* praeterea legitur Commod. instr. 1, 37, 16. Anthol. 178, 3. Expos. mundi 7. Ven. Fort. carm. 1, 11, 21.

ibid. 15. Videtur esse legendum *in medio sinu* (h, Sittl l. c. 14, *sinum* b l, *sinūs* Rose) *mulieris* (b l h, *muliebris* Rose). saepe quidem *muliebris* et *mulieris* in codd. confunduntur (p. 3, 1. 5, 1. 6, 4 al.), tamen *de ipso sinu mulieris* legitur etiam p. 68, 3. *sinum mulieris* b p. 14, 19 (ubi *mulieri* l, *muliebrium* h, *muliebrem* Rose), cf. Cass. Fel. *in sinum mulieris* p. 191, 3. Cael. Aur. chron. 5, 4, 71 *in feminarum sinu.* (Sor. 177, 22: τὸ δὲ στόμιον κεῖται κατὰ μέσον τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον). — quid sit *sinus muliebris* vel *mulieris,* infra exponam in appendice s. v.

ad. p. 9, 4. *(sinus muliebris) quem vulgo connum appellant. connum* recte videntur tradere b^{c}h, *cunnum* formam classicam habent b l (Rose). Thes. in Mustione quidem probat formam *cunnus,* sed *connus* tradi testatur Catull. 97, 8 cod. Oxon., Anth. 302, 12 cod. A, Cic. fam. 9, 22, 3. — formam *cu(n)nus* exhibet quidem defixion. tabell. 135 B 6 Audoll.[1]) saec. p. Chr. n. II (in Latio inventa), sed *connum* pronuntiatum esse in vivo sermone inprimis posterioris aetatis demonstrare videntur linguae quoque romanicae: it. *conno,* francog. *con,* hisp. *coño.*

Locum p. 10, 9 sqq. splendide emendavit Ilberg l. c. 103 sq.

ad p. 11, 12 (I 24). Rose legit: *Aequali mensura omnes* (*omnes* l, om. b; in resp. *non omnes semper* b^c recte eras. *omnes*) *purgantur?* — rectius pro *omnes* vocabulo, quo scriptor codicis l aliquam complevisse videtur lacunam, *semper* in textum recipiendum esse censeo, quod confirmatur responsione *non semper modicum.* inepte enim denuo haec quaestio *Aequali mensura omnes purgantur?*

[1]) = Dessau ILS 8751.

foret posita, quoniam brevi ante (I 22) iam legimus *Quanto sanguine mulieres purgantur? non omnes aequaliter quidem* eqs. atque insuper ex I 23 non omnes aequaliter purgari cognovimus. praeterea ex ipsa responsione 24 elucet nondum iam de eo agi, totumne genus muliebre aequali mensura purgetur, sed de nova hac quaestione, num una eademque mulier per totam vitam aequalem semper omnibus mensibus menstruorum quantitatem emittat. — ‚Μοσχίων' habet ὁποίῳ μέτρῳ καθαίρονται eqs., quibus vertisse videtur *quali mensura purgantur,* cf. autem I 22. — quae cum ita sint legendum esse censeo *Aequali mensura semper purgantur?*

ibid. 14 *in modicum:* v. supra ad p. 7, 14.

ibid. 15. Recte b l tradunt *suci* (*suum* h, unde *sui* Rose), cf. p. 72, 11 ubi similiter dicitur *ut misera mulier resumere possit et pristinum sucum* (l h, *suum* b) *corporis accipere.* cf. etiam p. 109, 23.

ad p. 12, 8. Non sibi constat editor quod *ideoque* (b l h) ille quidem retinuit p. 36, 26, *ideo* tamen correxit p. 12, 8 (*ideoque* b l) et 37, 17 (*ideoq;* b l, om. h, *ideo quidem* Rose).

ad p. 13, 5 sqq. (I 29 et 30). Ingeniose has duas paragraphos emendabat Ilberg p. 105 sqq., et quidem § 30 ita: *Saluberrima*[1]) *autem est perpetua virginitas? Sic est. Si enim masculos frequens coitus male accipit, sic etiam et mulieres vexantur et cito eas senescere facit. Et insuper vacuo vitae ductu forte periclitantur.* Adnotat haec p. 107[2]: „H. Diels (brieflich) möchte schreiben *nec insuper vacuę partu forte periclitantur* oder *nec insuper vacuas partu forte periclitari* (scil. *facit*). Dann müsste man hier eine gewisse Selbständigkeit der lateinischen Übersetzung konstatieren, wozu ich mich ungern entschliessen würde." — Mihi quidem ultra necessitatem uterque vir doctus mutare videtur tradita, Ilberg etiam illato sensu ab hoc loco, ut mihi quidem videtur, alieno (l. c. 106 a med.). neque enim *et insuper — periclitari* verbis ex-

[1]) = ὑγιεινή S. 193, 16. cf. supra p. 14 adn. 1.

primere videtur Mustio voluisse haec: *„Übrigens sind sie gelegentlich durch untätige Lebensweise gefährdet, nicht durch die dauernde Jungfräulichkeit“* (Ilb. 106/7), quoniam de sacerdotibus, quae per totam vitam virginitatem servare debent, a Sorano (p. 195, 22 sqq.) specialiter pro exemplis allatis ne unum quidem verbum facit interpres, sed haec fere generaliter videtur docere secundum Soran. I 30—32: ut viris, ita feminis frequens coitus est noxius et ut cito senescant efficit et *insuper* (sic!) *vacuas* (cf. I 23 *quae vacuae*[1]) *sunt et delicatae et nihil agentes,* I 24 *quotiens . . . post vacuam vitam ad exercitationem mulier accedit,*) mulieres, quippe quae emollitae et infirmae sint, partu *forte* (sic!) eventuro in periculum deducere potest[2]). qui sensus etiam in Dielsii coniecturis inesse videtur, tamen cur *nec* pro *et* (codd.) scribamus non habemus. ergo proponere mihi liceat secuto Dielsium (2) lectionem hanc: . . . . *et cito eas senescere facit et insuper vacuas partu forte periclitari.*

ad p. 13, 7. Defendo *conglutinare* (b l (h), *-ari* Rose) intransitive hoc loco usurpatum sicut etiam p. 113, 9 (v. ad loc. et supra ad p. 3, 14). sic etiam *glutinare* intrans. dicitur de vulneribus saepius apud Chironem (cf. ind. Oder. 376), ubi Cels. *se glutinare,* Plin. *glutinari* scribere nondum desierunt (v. Georg. s. v.). — Thes. quidem usus verbi *conglutinare* intransitivi exempla non exhibet.

ad p. 14, 12 sqq. Satis corrupte se habet resp. § 34.

[1]) De huius adiectivi vi cf. Ilb. l. c. 106[1]. Rönsch, Semas. Beitr. II 57 (*vacare* ibid. III 85, *vacuitas* = ἀργία Itala 327). quem usum iam Ciceronis esse monet Thielmann AlL VIII 248.

[2]) cf. Sor. I 30 ad extr., ubi ei medici qui perpetuam virginitatem salubrem esse contendunt, in quorum numero se esse ipse profitetur I 32, proferunt haec: αἱ γὰρ συλλήψεις καὶ ἀποτέξεις δαπανῶσι τὰ σώματα τῶν θηλειῶν καὶ ἀθρόως ἀπομαραίνουσιν, ἡ παρθενία δὲ τῶν ἐντεῦθεν ἀδικημάτων τὰς θηλείας ὑφαιροῦσα δεόντως ἂν ὑγιεινὴ λέγοιτο. praeterea p. 349, 10: (ὁ Κλεόφαντος) . . . ἢ ἀργοὺς βίου (lacuna) . . . φησὶ δυστοκεῖν. ἡ γὰρ ἀργία δυστοκίας αἰτία, τὰ δὲ γυμνάσια εὐτοκίας καὶ τῶν κατὰ γαστρὸς εὐτροφίας. et 350, 24 ἔνιαι γάρ εἰσι σπαταλώδεις καὶ οὐκ ἐντείνονται. καὶ παρὰ ἀπορίαν δὲ τοῦ τίκτειν γίγνεται ὡς μὴ συνεργεῖν τῇ ὠδῖνι.

Rose praebet: *non quidem (non quidem* b (h), *nunc quidem* l) ⟨si⟩ *ingenti corporis labore et tormento perferatur.* sed minus conditionale enuntiatum quam causale hoc loco desiderari videtur coll. Sor. I 42, ubi quibus ex causis omnis conceptus noxius sit sanitati ostenditur. qua re ⟨*si*⟩ coniunctionem ab editore additam ante *quidem* supplere malim, ita ut legamus: *non, ⟨si⟩quidem . . . perferatur.* cui emendationi non obstat coniunctivus *perferatur,* quoniam *siquidem* coniunctio causalis saepissime apud Mustionem occurrit cum coniunctivo coniuncta (v. supra ad p. 6, 16). quodsi nihilominus abhorreas a mea emendatione, nescio an praeferas hanc alteram: *non quidem ⟨cum⟩* eqs. — sine necessitate in enuntiato sequenti addit editor ⟨*sanitati*⟩. etiamsi huius loci sensus non facile perspicitur propterea quod sermone multo breviore in hac responsione usus est interpres quam Soranus, tamen intellegi potest coll. Sor. I 42, ubi inprimis haec velim consideres p. 207, 4: (ἔνιοι . . . νομίζουσιν . . .) δεύτερον ὅτι στραγγῶς τινὲς καθαιρόμεναι . . . συλλήψεσι χρησάμεναι τῶν ὀχληρῶν ἀπηλλάγησαν et infra 12 (ubi contradicit Soranus illis ἐνίοις): συλλαβοῦσαι μὲν τάχα οὐχ (sic) ἀπαλλάσσονται τῶν προυπαρχόντων περὶ τὴν ὑστέραν ὀχληρῶν, . . . εἰ δὲ καὶ ὑπὸ τῆς συλλήψεως ἀπαλλάσσονται, eqs. quibus collatis haec fere velle dicere Mustionem elucet: etiam *successione* (i. e. prospero successu vel eventu, v. lexx.) conceptus retentio menstruarum vel difficultas purgandi (cf. II 1 tit., id enim est *plus quam necessaria retentio*), si ante conceptum fuit, non tollitur. — nihil ergo addendum.

Sequentis quoque enuntiati sensum aegre intellego ne *naturalis* quidem lectione quam proposuit Rose accepta. equidem malim *universali* (*animalis* codd.) *vero animalium cumque naturali ratione et necessitate efficitur* coll. Sor. I 32 ad extr. τῷ κοινῷ δὲ τῆς φύσεως λόγῳ, καθ' ὃν ὑπομένει ἑκάτερα τὰ γένη τὴν τῶν ζῴων διαδοχήν, ἡ μῖξις ἀκόλουθος ἂν εἴη. καὶ περὶ τούτου ἑξῆς διαλαβεῖν ἀναγκαῖον. spectat autem illud ἑξῆς ad S. I 42 (quae paragraphus respondet huic loco Mustionis), ubi legitur: (ἔνιοι . . . νομίζουσιν) ὅτι . . . φυσικὸν . . . ἐνέργημα καὶ ἡ σύλληψις eqs.

ad p. 15, 7. *ipsaque mulier gravida et colore foeda est et aegra* (*egra* l C, *nigra* b, μετ' ὠχριάσεως Sor. 210, 19 coll. τὴν δὲ δύσχροιαν 211, 7). fortasse *nigra* adiectivum retinendum est, quod saepe de faciei colore dicitur (v. Georg. s. v.) nec solum sensu proprio, sed etiam oppositum *bono colori* sicut Lucr. IV 1160 (Lachm.): *nigra Melichrus est,* ubi nec *atra* nec *fusca* subaudiendum est, sed opponitur ib. 1033 *nuntia praeclari voltus pulchrique coloris,* cf. commentar. Bockemuelleri (1874) ad vers. 1027 et 1153). — accedit quod *aeger* rarissime occurrit in posteriore latinitate (cf. Wölfflin, Lat. d. Cass. Fel. p. 393 sq.), semel, ut afferam exemplum, apud Cassium, nusquam ni fallor apud Mustionem, apud quem in illius adiectivi iura succedunt *laborantes* II 10, 40. 30, 83 (inde a Scribon., Wölffl. l. c. 394), *miser* (*misera mulier* II 11, 44 = p. 72, 10, II 19, 61 = p. 90, 8 al., similiter Cael. Aur. acut. 1, 12, 101, v. Georg. s. v. II 1. Rönsch Semas. Beitr. II 31. *miser* = *morbidus* Chiron, v. ind. 394 Od.), interdum etiam *ea quae patitur* (ex. gr. p. 94, 5), *ea quae laborat* (p. 90, 19). — certiora de illo adiectivi *niger* usu Thes. demum afferre poterit.

ibid. 8. Fortasse post *nos autem haec veri similia esse arbitramur* in codd. exciderunt verba *sed non vera,* quibus iam Rose explicavit illud *veri similia* in app. crit. falso enim intellegatur breve hoc enuntiatum, nisi conferas Sor. I 45 (ad extr.): ταῦτα δὲ τοῦ πιθανοῦ μᾶλλον ἢ τοῦ ἀληθοῦς ἔχεται eqs., et profecto falso esse intellectum hunc locum a librariis ostendunt lectiones *vera omnia* l, *omnia vera* C, ὅμοια ‚Moschion', (deest h); sed *vera similia* b, quae lectio fortasse ostendit hanc: *vero similia.*

ibid. 11. *inconsueti* (h, *consueti* b l). Sittl p. 14 suspicatur *non consueti* exstitisse, sed *inconsuetus* habet etiam Oribas. lat. (Hagen p. 17, 7); Georges praeterea affert Vitruv., Sil. Ital.

ad p. 16, 16. Rose praebet: *ita ut prius* (l h, *primo* b) *aquam bibant, postea autem vinum siccosque et constrictorios accipiant cibos* eqs. equidem malim quod b habet *primo,* nam haec exstat sensus differentia inter *primo* et *prius:*

primo i. q. *primis diebus* (cf. Sor. p. 216, 24 τῇ δὲ ἑξῆς ἡμέρᾳ . . . . . . καὶ ποτὸν ὕδωρ, ... ταῖς δὲ ἑξῆς ἡμέραις (217, 3) . . . . . μετὰ δὲ τὰς πρώτας ἡμέρας . . . (ibid. 5) χρῆσθαι . . . οἰναρίῳ συμμέτρῳ eqs.). contra *prius* hoc loco significaret: paulo ante quam vinum accipiant (scil. eodem die vel eadem hora), aquam bibant. cuius differentiae exempla proferre mihi liceat haec: I 52 *ab eo quod prius* (h, om. l, deest b, v. infra ad p. 19, 4) *infans cadit in terra ac sic*[1]) *illae secundae exeunt. nam inde et prorregma dicitur quod prius rumpatur.* contra II 28, 28 (p. 107, 14) *primo callus commalaxandus est, et sic ferro sublatum* (*ragadium*) *facillime sanari potest.* — ceterum saepius confunduntur *primo* et *prius* in codd., cf. p. 26, 12 et 27, 2 *primo* b h, *prius* l; item p. 33, 2 *primo* recte b, *prius* l itemque ibid. 3, v. appar.

In p. 17, 11 supplendum esse videtur *tensione ipsa* ⟨*et*⟩ *conatibus.* cf. 26, 14.

ad p. 18, 3. Rose vult: *Gravidae mulieres uti debent viro* (*viros* b l h)? quamquam ind. 166 adnotat „uti c. acc. vulgo" et cum alia exempla tum hoc afferte Mustione. sed omnino omnibus temporibus *uti* etiam cum acc. coniungi solet, non solum a Plaut., sed etiam a Cicer. et Varron. (v. Georg. s. v. I A β, alia exempla exhibet Rönsch Ital. 415). equidem addo ex recc.: Chiron (ind. Od. 449), ubi *uti* et cum acc. et cum abl. coniunctum occurrit. 4 exempla accusativi ex Marc. Empir. affert Helmreich ind. 408, cf. etiam ind. Ros. ad Theod. Prisc. 548. *uti aliquid* 21ies in Oribasii translatione Bernensi (cf. p. XXI Hagen), *uti aliqua re* 5ies, *uti* cum acc. et abl. simul coniunctum bis occurrit. qua re non video cur illa constructione etiam Mustionem usum esse negemus. quamquam etiam *uti* c. abl. coniunctum apud eum frequentatur (p. 17, 18. 20, 1. 4. 44, 8 sqq. 19. 52, 6. 53, 16. 56, 14 al.), atque adeo sicut apud Oribas. abl. et acc. simul usurpari videntur p. 43, 22 sq.: . . . *qui-*

---

[1]) *sic* = *deinde*, cf. Paucker Rh. M. 38, 314. Sittl, Lokal. Versch. 137. Geyer, ind. ad Aether. abbat. 415. Meister Rh. M. 64, 380. Rönsch, Sem. Beitr. II 81. Rose, ind. ad Anthim. 57. AlL XIII 209.

bus rebus utimur? scilicet omnia (b l, *omnibus* h Rose) *quae relaxare possunt* eqs. et brevi ante 43, 19 *vaporationes* (b l, *-e* h Rose) et *cataplasmatibus uti,* similiter p. 105, 1 *encatismata* (b, *-te* l h R.) etiam et *vaporationibus* (b h, *vaporationes* l) et *cataplasmata* (*cataplasmate* codd. omnes ut videtur, sed potius exspectatur pluralis, qui occurrit saepissime in hoc contextu (cf. p. 95, 15. 98, 1. 7. 99, 18. 101, 13.) *a foris bene utimur.* pluralis enim item erit restituendus p. 82, 5 *encatismata* (b l, *-te* h R.) *etiam utimur,* 102, 21 *ita ut sicut superius* (i. e. 102, 4 *melius autem faciemus si ex ipso humore encatismata adhibemus*) *dixi ex ipsis rebus encatismata* (b l, *encatisma* h, *-te* R.) *utamur,* fortasse etiam p. 95, 15: *encymatismis et cataplasmatibus, encatismata* (enca*tisma* l, *-te* b h, ut videtur, R.) *etiam et vaporationibus utendum est.* — item restituendum censeo p. 101, 16 *artofacium* (*artofagium* b l, *orificio* h, *artofacio* R.) . . . *uti.* —

p. 18, 4 Rose: *si fieri potest* ⟨*non*⟩, *ut non*[1]) *agitentur, ne matrix ipsa exagitatione usus sustinere non possit.* quem locum sic exhibet Gesner (annot. in Moschion. p. 51) videlicet ex codice suo latino (cf. praef. supra p. 9): *Gravidae mulieres uti non debent viris, si fieri potest, ut non*[1]) *agitentur: ne matrix ipsa ex agitationis usu sine tormento sui sustinere non possit.* quae sensus plane neglegens praebet interpres quoque byzantinus (p. 15 Dewez, cf. ibid. 127), qui ne ipse quidem habet quaestionem. — ea quae praebet Rose *(ne- possit)* ego quidem intellegere non possum. lacuna quaedam fortasse iam in archetypo inerat. sed etiamsi locum ita, ut scripsisse eum verisimile est ipsum interpretem, nemo umquam certe poterit restituere, tamen collato Sorano facile ita suppleri potest, ut sensum saltem rectum et veri simillimum efficere videamur. praebet enim Sor. 223, 7: ἡ συνουσία δὲ παντότε ταῖς κυοφορούσαις ἐπιβλαβὴς διά τε τὸν σάλον καὶ διὰ τὸ τὴν ὑστέραν ἀναγκά-

[1]) ***ut non = ne,*** ut videtur, sicut etiam p. 23, 18. 30, 13. 40, 17. 43, 14. cf. Hagen (Oribas.) p. XXI. Bonnet 311. Oder ind. ad Chiron. s. v. Werner 102.

ζεσθαι τὴν ἐναντίαν τῷ τῆς συλλήψεως ἔργῳ κίνησιν ὑπομένειν. potuit ergo haec fere scribere interpres: *ne matrix ipsa exagitatione usus* ⟨*motum*⟩[1]) *sustinere*[2]) ⟨*cogatur qui utiliter conceptus officio*[3]) *occurrere*[4])⟩ *non possit.* (primo *ex agitatione* scribere volueram coll. annot. Gesneri, praesertim cum Georges semel vocem *exagitatio* afferat in notione ab hac longe diversa. sed. Forcell. praeterea de Gloss. (= Gloss. II 63, 37) approbat *exagitatio* = συγκίνησις. quae vox graeca, quae rarissime occurrit (v. Passow. lex. s. v.), legitur Soran. I 52. casu *exagitatio* praeterea inveni etiam apud Cass. Fel. p. 141, 12 R.: *ut post exagitationem frigoris accessio febrium nascatur*).

Sed fortasse nimis verbosa nimisque ad verba Sorani accommodata esse videtur illa mea emendatio. patet enim altera quoque ratio haud minus quadrans ad hunc locum, quam quidem ostendit annotatio Gesneri supra citata. cui item lacuna quaedam inesse videtur sic fere complenda (scil. verbis *ne — usu* correctis): *ne matrix ipsa exagitatione usus* ⟨*motum faciat quem*⟩ *sine tormento sui sustinere non possit.* facile enim fieri potest ut verba *sine tormento sui,* quae desunt in b l h, genuina sint, cf. *sine tormento* p. 105, 11. *tormentum* etiam p. 14, 12. 43, 15. — ceterum ad hunc contextum nescio an melius etiam quadrent pro ⟨*motum faciat quem*⟩ verba ⟨*quassationem patiatur quam*⟩. saepius enim *quassatio* legitur (p. 24, 4. 10. 25, 23. 53, 12. 63, 2. 89, 11. 94, 6. 118, 11) apud Mustionem.

ad p. 19, 4. Recte *prius* (h C, om. b l) ante *infans* in textum recepit Ilberg (l. c. 108), quod desiderari videtur propter sensum (*secundae* vocabulo oppos.). praeterea *prius — sic* (de *sic* cf. supra p. 60 adn. 1) occurrit p. 84, 12, *primo — sic* p. 33, 2. 107, 14.

ibid. 23. Legendum est *frigdor* (l, *frigdore* b, *frigdora* h, *frigor* omnib. locis corr. Rose). quam formam etiam Gesner

---

[1]) cf. vers. 8 *motus enim eius* (i. e. *usūs*) = κίνησιν Sor.

[2]) = ὑπομένειν,

[3]) cf. qu. 18 ab Ilbergio restitutam.

[4]) cf. qu. 29.

apposuit e codice suo (ann. ad Moschion. p. 55): „*frigdor* pro *frigiditas*. cf. etiam Sittl l. c. 14, Paucker l. c. 312. Georges formam *frigdor* comprobat e Ps. Soran. qu. medic. (ed. Rose Anecd. II) 109. Gloss. eam exhibent III 207, 20 (= ψυγμός). IV 443, 16. III 203, 3 *(fricdor)*. quibus testimoniis adde Theod. Prisc. (pluribus locis, v. ind. 514 R.), (15^{ies}, v. Hagen (Oribas.) p. XI), Pelagon. vet. 141. cf. Schuchardt, Vok. d. Vulgärl. II 415. ceterum ex linguarum romanicarum consensu formam *frigdor* postulavit Groeber AlL II 428. *(freddore, froideur, fredor* etc.). — item *frigdor* restituendum est infra p. 22, 18 *(frigdore* b, *fervore* cett.*)* 54, 13 *(fricdor* b, *frigdorem* l, *-re* h*)* 62, 12 *(de fricdore* b, *de frigdore* l h*)* 74, 15 *(frigidore* l, *frigorem* Rose, cett. ?*)*. fortasse etiam 74, 3. 80, 3 (ubi nihil Rose adnotat in app. crit.[1])). 81, 10 *(frigore* Rose, *frigus* corrupte b l h*)*. — similiter *infrigdare*, v. infra ad p. 22, 18. *frigdus* de Append. Probi approbat Geyer, Burs. Jahresber. 98, 98 (cf. Gloss. IV 443, 16). *frigdarium* Gloss. V 619, 35. —

ad p. 20, 18. Rose vult: *humorque fertur primo lentus, postmodum plurimus* (l, *plurimum* b h) *et sanguineus*. — equidem malim scribere cum b h *plurimum* inprimis coll. Sor. I 66 (p. 235, 17): φέρεται δὲ ὑγρὸν γλισχρόν, εἶτα καὶ αἷμα ταῖς πλείσταις, quem locum fere ad verbum transtulit Mustio. neque enim *lentus* hoc loco significat „qui tarde defluit" (oppos. *plurimus*), sed propria vi (v. lexx.) usurpatum valet i. q. Sorani γλισχρός = glutinosus, pituitosus. *plurimum* autem adverbialiter dictum (cf. p. 17, 8. 26, 12. 67, 13. 90, 16) respondet verbis ταῖς πλείσταις et idem valet ac *plurimis* vel *plerumque* vel *ut fieri solet*[2]) (sicut etiam p. 67, 13 ut videtur). ceterum cf. p. 26, 12 *quod primo sanguis plurimum fluit*, ubi item habet *plurimum* b (Rose), *-mus* l h (sed hoc quidem loco vertendum

---

[1]) Non omnes semper videtur codd. lectiones Rose proferre in app. crit., cum saepius praebeat in indice quas omisit in appar. (ex. gr. *sacellis, singillatim* ind. 165, *lenteolum* ind. 160, al.).

[2]) Klotz (s. *multus* 3, 2, b): „Im späteren Zeitalter bedeutet plurimum *gewöhnlich*, Plin."

esse videtur non ‚*gewöhnlich*‘ vel ‚*meist*‘, sed ‚*in reichlicher Menge*‘). — *et* = *etiam*, ut saepe apud Mustionem (p. 3, 17. 41, 19. 47, 18. 57, 1. 58, 19. 59, 18. 62, 14. 66, 15 al., cf. Bonnet 313. Werner 112. Geyer ind. in Aether. 400. *sed et* p. 42, 18, cf. Werner 107).

ad p. 21, 15 *(sella obsetricalis) in qua sedetur ita ut habeat* (scil. mulier pariens) *sub sessu* (*sexu* b l h) *similitudine lunae foramen praecisum.* — equidem *sexu* defendo, quod etiam Gesner legit in cod. suo: „φύσις pro pudendo, interpres[1]) *sexum* vertit“ (annot. ad Moschion. p. 55) et Dewez usurpavit (*sub sexu* p. 132). nam etiam in lexicis *sexus* ita usurpatum affertur (v. Forcell. s. v. 3: „metonymice αἰδοῖα quoque ipsa, quibus sexus distinguuntur, *sexus* appellantur a Plinio 22, 9, 1“. Georg. s. v. addit Lactant. 1, 21, 16) et Sorano quoque confirmatur lectio codicum (p. 236, 21): δεῖ δὲ . . . ., καθ' ὃ μέρος ἐπικουφίζουσι, μηνοειδῶς σύμμετρον εὐρυχωρίαν ἐκκεκόφθαι. — ceterum facile quomodo ad suam coniecturam pervenerit editor intellegitur si conferimus ind. ad Theod. Prisc. 541 R.: *sessus* = ἕδρα, et ad Cass. Fel. 203 s. ἕδρα.

ibid. 18. Legendum esse puto: *uno verso quod* (b l, deest h, *qui* Rose) *est durius stratum* (*stratum* b l, *stratus* Rose), ... *in illum autem* (scil. lectum) *qui mollius est stratus* eqs. nam sine necessitate Rose videtur mutavisse codicum lectionem (cf. etiam p. 22, 4: *quod* b l h), quae ita facile explicari potest, ut dicamus *stratum* esse substantivum, *stratus* verbum: nam *stratum, -i,* non *stratus, -us* solet dicere Mustio, (cf. p. 30, 12. 50, 14. 90, 19 al. — p. 22, 4 cum l est scribendum *est* (cf. 21, 18. *habet* b Rose), si *quod* (cf. 21, 18) censemus esse restituendum; dicit enim Mustio *lectus, -i*, non *lectum,* cf. 21, 17. — ad haec omnia cf. p. 84, 1: *ut . . . . paululum durius sit stratum (stratum* om. b., *paululum ipse stratus durius sit* l, *paulo durius sit stratu* (sic, i. e. *stratū*) h*)*.

ad p. 22, 4. Rose praebet: *iacente ea supina* (*iacente*

[1]) i. e. Mustio.

eam supinam b, *iactantes eam supinam* l h). — equidem praeferam lectionem codd. l h coll. his locis: p. 25, 18. 30, 11—15. 50, 13. 90, 19 *(in duro scilicet strato supinam eam iactans* (*iactantes* b l h) *quae laborat).* 106, 6. 118, 3 *(supinam iactans* (*iactantes* b l h) *eam quae inspici habet).* praeterea aptius videtur *iactantes* respondere quaestioni *(c o l l o c a r e debemus).*

ad p. 22, 18. Legendnm est *infrigdat* (sic l h, b mutil., *infrigidat* Rose). Georg. s. *infrigidare* comprobat *infrigdatus* de Schol. Iuven. 7, 194. adde Oribas. (Bernens.), Hagen p. XI: 14[ies]. Theod. Prisc. ind. 520. Cass. Fel. ind. 243. — cf. *frigdor,* supra ad p. 19, 23.

ad p. 23, 21. *lenteolum* semper praebent codd. (cf. ind. 160), quod in *linteolum* male correxit editor. cf. Gröber AlL III 511, qui ex linguis romanicis coniecit formam *lenteolum* (*lenteus* CIL XIV 2215, 19); Schuchardt, Vokal. II 56. *lenteum* (= *linteum*) Gloss. III 287, 27 = 657, 16. ibid. 514, 64. —

ad. p. 24, 8. Scribendum esse *fervura (fervore* vel *fervorem* codd., sed φλεγμονῆς Sor. 241, 9) demonstrat Ilberg l. c. 109, qui suo iure omnibus locis pro *fervor* codicum, quotiens respondet φλεγμονή textus graeci, restituere vult *fervura* primus ut videtur inter viros doctos distinguens ‚*fervor* = πύρωσις‘ et ‚*fervura* = φλεγμονή‘. quae duae voces cum in vivo sermone propter similitudinem cum sensus tum formae facile confunderentur (Schuchardt, Vokal. II 100 sqq. Thielmann AlL I 69), etiam a librariis parum distinctae neque a Gesnero (ann. ad Moschion. p. 55: „fervura pro fervor“) neque Thielmanno (l. c.) neque Woelfflino (AlL X 421) neque Lommatzschio (ibid. XII 555) recte separatae sunt. Ilbergium autem recte iudicasse demonstrari mihi videtur hoc loco (p. 50, 4) Mustionis: *strictura ergo et fervore in matrice posito (posito* h Rose, *-t a* b l), ubi Ilberg (l. c. 109[2]) restituit *fervura:* quod quidem ab interprete scriptum esse videtur, sed cum librariorum mendo frequentissimo *fervore* legeretur pro *fervura,* doctrina eius, qui codicem h scripsit, soloecismum inde enatum

correxit et *posita* mutavit in *posito*. — ego locis ab Ilbergio (p. 109[2]) prolatis addo hos, ubi *fervura* censeo esse scribendum: p. 43, 11 (∾ Sor. 290, 24). 43, 19 (∾ Sor. 291, 21). 43, 22 (∾ Sor. 292, 6). 44, 8 (∾ Sor. 292, 24). 45, 14 (Sor. 296, 4). 75, 1 (∾ Sor. 347, 10). 77, 10 (∾ Sor. 351, 20). p. 95, 13 (∾ Sor. 244, 26 sq., nam II 20 Must. = I 73 Sor., cf. Ilberg l. c. 100; ceterum subsequitur *fervura* 95, 16). — minus certa haec: p. 82, 18 (nihil Sor. 358, 16, ubi debuit, dicit de φλεγμονῇ, sed cf. Mustion. p. 81, 10 ab Ilberg. correct., ad quem locum spectare videtur 82, 18). — p. 96, 3 legimus *ex praecedente nimio fervore*, ubi . . *nimia fervura* legendum esse suspicor. nam deest quidem Soranus, sed praebet Aëtius latin. (Iani Cornarii) hoc initium (XVI 85, *De uteri abscessu, Archigenis*): „*Abscessus in utero velut in caeteris corporis partibus* *p r a e c e d e n t e* *i n f l a m m a t i o n e* *generatur*" (subsequuntur symptomata huius loci simillima). item transtulit Wegscheider[1]) (cap. 89) „*nach voraufgegangener* *E n t z ü n d u n g*". — p. 102, 11: *ex eo quod et dolor minuit* (b l h, *-tur* R.) et *fervor recessit*. anceps haereo utrum retinendum sit *fervor* an corrigendum *fervura* coll. p. 98, 6 *si* . . . *f e r v u r a* (corr. Ilberg l. c.) *quidem recesserit et dolor minuerit*, scil. ubi de *collectionibus* agitur; accedit quod subsequitur *fervuram* 102, 13.

ad p. 25. 11 *nec non et thymiamata* Rose (*nec non et timiama* b, *nec non* *e t i a m* *et thimiamata* (*ta* om. l) h l, v. ind. 155 s. *etiam et*). — fortasse hoc loco l h recta tradunt, nam potius *etiam* in hac locutione pleonastica excidisse crediderim in b quam additum esse in l h. *nec non etiam* apud Cass. Fel. occurrit p. 13, 20, *nec non etiam et* p. 26, 16. 51, 6. 170, 20 (cf. Woelfflin, Lat. d. Cass. Fel. 427)[2]).

ad p. 26, 2. Legendum est *oleo dulce* (b, *dulci* l h). semper enim codex optimus b praebet ablativum *dulce*

---

[1]) Das XVI. Buch des Aëtius, übers. Berlin 1901. Aëtium graecum in bibliotheca Gissensi inspicere non potui.

[2]) Sed non solum in Africa tales accumulationes in usu fuerunt, sed omnino in posteriore latinitate: 12ies *nec non etiam et* apud Aetheriam *abbatissam* gallicam invenit Geyer, ind. 408; cf. AlL IV 269. VIII 181.

(cf. ind. 158 s. *i*), interdum etiam l h. confirmatur autem forma *dulce* exemplis ex Oribas. lat. deprompti (Hagen p. XV), cf. etiam *febre* = *febri* ind. ad Ps. Plin. 122. — non sibi constat editor quod modo retinuit *dulce* (p. 81, 18. 104, 20. 112, 11), modo restituit formam classicam contra codd. (p. 26, 2 *dulce* b. 43, 16 b l. 52, 7). nihil adnotat[1]) Rose ad *dulci* p. 51, 7. 97, 10.

ad p. 27, 4 (et 15): *si vero lacte stringere volueris.* recte mihi editor in app. crit. pro *stringere* proponere videtur *extinguere* (σβέσαι Sor.), non quidem Sittlio (l. c. 14), qui *stringere* confirmari dicit vers. 15. equidam duobus locis exstare crediderim menda librariorum nescio an ex *constringere* paulo antecedenti (p. 27, 2) exorta. legimus enim p. 32, 18 (I 90) *lac exterminatur et extinguitur,* ubi Soranus in capitulo cum illa quaestione partim congruo XXXV. habet σβέννυσθαι, quotienscumque significari debet lac deficiens (p. 272, 8. 10. ἀποσβένν. 15).

ad p. 28, 13. Legendum esse puto *ostendit* cum b l h (*-unt* Rose). habere enim videmur hoc loco graecismum numeri singularis pro plurali positi praeeunte substantivo plurali generis neutrius. similiter supra p. 25, 14: *quae omnia nos reprobamus, si quidem et fervuram partibus ipsis facere possit* (b l, *potest* h). cuius usus exempla permulta iam apud Terent. et Petron. invenit Rönsch Ital. 435 et 523, apud Oribas. lat. Hagen p. XIII. — item restituendum puto *constat* p. 18, 1: *pessariis quae ex adipibus . . . constat* (l h, om. b, *-stant* Rose), item *constat* (b l, *-stant* h R.) 60, 24 itemque 112, 22 (*constat* b l h, *-stant* R.). similiter p. 73, 7: *menstrua abundantia frequenter . . . occurrit* (b l h, *-runt* R.). cf. etiam infra ad p. 56, 16.

ad p. 29, 1. *quagulatum* habet b l, *coagulatum* (semper) Rose. praeterea: p. 31, 10 *coaculatum* b, *quagulatum* l. 41, 12 *coaculet* b, *coagulet* l, *coagolet* h. contra 42, 3 *quag.* b l. 71, 16 *quagulum* b l, *coagul.* h. nihil adnotat Rose de codd. lectt. ad 69, 12 et 100, 20. — Thes. de his

---

[1]) cf. supra p. 33 adn. 1.

formis dicit: „*quagul-* Pallad. 6, 9, 1 cod. LF (P *quoagul-*). Diosc. 1, 84. 161. sed Not. Tiron. 29, 4ª *coagulatum.*" sed *coagulator* substantivum non habet nisi in forma *quaglator* (de inscriptionibus!), item *quagulare* subst. neutr. affert e Veget. mulom. — equidem addo: *quagulum* Ps. Plin., v. ind. 126 R. *quactile* = *coactile* Theod. Prisc. (ind. 534, sed *coagulare* ibid. 502). *quactile, quactiliarius* omn. codd. Cass. Fel., v. ind. 228. *quagulum* habent codd. Marcell. Empir., v. ind. 392 Helmr. — quibus tam multis comparatis duae formae *coag-* et *quag-* apud posterioris aetatis scriptores in certamine fuisse videntur, quod facile explicari potest eo, quod *coa-* et *qua-* cito pronuntiatis idem fere sonus efficitur. forma *quagulare* praevalere coepit in Italia, ubi adhuc pronuntiatur et scribitur *quagliare* (sed francogall. *cailler,* hisp. *cuajar,* prov. cat. *coagular*). ergo, cum iam Mustionis temporibus duae illae formae simul in usu fuisse videantur, *quagul-* scripturam quotiens eam praebent codd. retinendam esse censeo.

ad p. 29, 16. *fenogreci* habet b, *fenugreci* h, *faeni graeci* (semper) Rose. variant codd. praeterea inter *fenum grecum, fenogrecum, fenigrecum,* v. ind. 155. — similis huius vocis scribendae perturbatio invenitur apud alios medicos recc.[1]), cf. indd. Ps. Plin. 122. Gargil. Martial. 215. Chiron. 460. Theod. Prisc. 512. Cass. Fel. 235. Marcell. Empir. ind. s. v., in omnibus autem saepissime occurrunt formae *fenugrecum* et *fenogr.* Georges praeterea (Lex. d. lat. Wortform.) *fenugr.* affert de Veget. 2, 10, 6. Cael. Aur. acut. 3, 3, 16. 8, 78. *fenogr.* de Marc. Emp., Theod. Prisc. — quas formas ego quoque retinere malim ubi praebent eas codd. quae minime inter se differunt, cum *o* et *u* eodem modo pronuntiarentur et *m* littera finalis in posteriore aetate excideret cum omnino tum inter haec duo vocabula *(fenum grecum)* quippe quae in unum coniuncta esse viderentur. forma *fenugrecum* (quam habet etiam Mattheus Silvaticus sive Simon Januensis[2]) etiamnunc docte con-

[1]) cf. etiam Thes. gloss. lat. (Goetz vol. VI) s. v.

[2]) quae apud pharmacopolas nunc quoque usitata est.

servatur in lingua francogallica: *fenu-grec.* — de *e* = *ae* cf. Schuchardt, Vokal. I 224. Rönsch Ital. 463. *greci* saepius habent codd.: p. 6, 17. 7, 2. 32, 9. 48, 6. 106, 2 al., sic etiam semper Oribas. Bernens. (cf. Hagen p. VII).

ibid. *aspargere* (b l, *aspergere* h Rose) retinendum esse puto, quae forma saepe traditur in codd. inde a Varrone (cf. Thes. s. *aspergo*). *adspargo* Chiron, cf. AlL XII 408. — ⟨*debemus*⟩ non addendum est, quia saepe infinitivus absolutus adhiberi solet pro imperativo (cf. etiam Ros. ind. 163 s. *oportet*): p. 17, 14 sqq. 32, 20. 25, 22. 37, 7. 43, 17 sq. 60, 1 sq. 8 sq., al. (Soran. 250, 15 al.). item Chiron (v. ind. 313 Od., AlL XII 409).

ad p. 29, 18. *atluere* mendum typographicum est pro *abluere,* sicut etiam *urina* p. 36, 19 pro *urinae,* 30, 3 *singula* pro *singulas,* 85, 9 *eum* pro *eam*[1]).

ad p. 29, 21. Equidem cum b l h retineo *minimum digitum .... missum.* habes enim hoc loco accusativi absoluti constructionem, qua velut abl. absol. utuntur multi aetatis recentioris scriptores. item nominativus absol. nonnullis restituendus est locis Mustionis (v. infra ad p. 73, 6). cf. de nomin. et acc. absol. Bonnet 555. 559. 561—565. Hagen (Oribas.) p. XIV. Oder ind. ad Chiron. 313 sq. Werner p. 82 sqq. Haag § 100. AlL III 42, IV 276, VIII 176, IX 45, XIII 278. — idem acc. absol. restituendus est p. 18, 8: *ruptum corium* (b l h, *rupto corio* Rose). 52, 13 (v. infra ad p. 52, 10). 60, 7. 82, 15. 94, 2 (v. ad locc).

ad p. 30, 10. Nescio an *iactare* scribendum sit pro *iacere,* quia *iactare* exstat etiam in resp. (vers. 15) et apud Soran. (κατακλίνειν p. 256, 17) magisque proprium est usus Mustionis (v. supra ad p. 22, 4, ubi item confunduntur *iactare* et *iacere* in b).

ad p. 31, 1. *digito suo* (*suo* b l, om. h Rose) cum

---

[1]) Quae cod. b inspecto pro sua humanitate per epistolam mecum communicavit Ilberg. — simile mendum exstare suspicor p. 56, 13 *eorum* pro *earum.*

codd. optt. scribere malim. nam s u o, non infantis digito debet nutrix os infantis inlinire.

ad p. 32, 19. Retinere velim *primis vero diebus qua* (*qua* b l, *quo* h, *quae* Rose) *lactare incipit,* cf. german. *„an den ersten tagen, w o sie“* etc. subiectum autem in tota resp. subaudiendum est *nutrix* (32, 10), quod supervacue hoc loco denuo insertur.

ad p. 33, 3. Rose praebet in fine responsionis hoc enuntiatum: *nec conditum primo bibat et sic etiam vinum subiungat quam possit infans sine laesione etiam horum digestionem perferre.* ultima novem verba claro carere sensu vel is facile perspiciet qui nondum comparaverit Soranum. illic enim legimus p. 271, 15: ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ἀβλαβῶς τὴν δύναμιν ταύτην φέρειν οὐ πεφυκός, quae verba quomodo codicum lectionibus vix commutatis facillime hunc locum sanare possimus ostendunt: . . . . *vinum subiungat. nam primo (iam*[1]) *primo* b, *iam prius* l, *quam possit* Rose) *infans sine laesione etiam horum digestionem perferre* ⟨*non*⟩[2]) *potest (perferre potest* l). — quo cum tenore optime coniungitur quaestio subsequens, in qua *in principio* spectare videtur ad illud *nam primo.*

ad p. 34, 10. *imminuit* intransitive b (*-tur* cett., Rose). de aliis verbis activis a Mustione intransitive usurpatis v. supra ad p. 3, 14. cuius usus certum testimonium est p. 98, 6: *sed si . . . fervura* (corr. Ilberg) *quidem recesserit et dolor m i n u e r i t* (cf. etiam A l L III 284). — item scribendum est *minuat* (b l, *-tur* R.) p. 35, 6. *minuet* (b) 35, 12. *deminuet* (b l) 39, 8. *minuit* (b l h) 102, 11. — tamen etiam passivum (quasi medium) praebent codd. p. 100, 10. 19: *minuetur,* cf. *rumpere* et *rumpi: rumpere* trans. (medium *rumpi*) p. 17, 12. 98, 5. 17. 99, 11. 13. i n t r a n s. (cf. ind. Ros. 164, Geyer ad Antonin. Placent. p. 18, in lexx. adhuc non exstat) p. 99, 7. 8. 15.

ad p. 34, 15. Rose ita legere vult in loco satis corrupto: *Quae adhibenda sunt secundum antiquos ut lac abundet nutricis?* (ubi b: *adhibende s̄ antiqui,* h: *adhibenda sunt secundum*

[1]) Similiter *iam* et *nam* confunduntur in codd. p. 11, 16.

[2]) Additum ex Sor.

auctoritatem eciam antiquorum, l: *adhibebant antiqui* et postea (secundum „consecutionem temporum“!) *habundaret*). — quamquam lectiones cod. l emendatione arbitraria circa hanc totam paginam corruptae sunt (cf. app. crit. ad 2), tamen hic eius lectionem defendam. nam et b quoque *antiqui* nominativum praebet neque tam incautus est habendus interpres qui doceat obstetrices plerumque imperitas (v. ipsius praef.) noxia antiquorum remedia (cf. resp.) quae „adhibenda sint“, quasi etiamnunc ea adhibere oporteat. immo pauca verba de eis remediis facere vult quae (nunc reprobanda) antiqui perperam adhibere solebant. ergo multo aptius clariusque in tali re dici videtur *adhibebant* quam gerundivum, cf. etiam p. 25, 9. — ceterum haud scio an pro *nutricis* genetivo *nutricibus* scribendum sit, cum et secundum ordinem verborum dativus potius exspectetur et pluralis magis respondeat verbis responsionis *iubebant nutrientibus.*

ad p. 34, 19. Rose *solutum* (b l h) in *soluto* (scil. *cinere*) mutavisse videtur ideo, ut efficeret abl. instr. (*inlinere aliquid aliqua re,* cf. p. 53, 14 sq.). equidem coll. Sor. p. 273, 15 καὶ τὴν σποδιὰν αὐτῶν τοῖς πινομένοις ἐπέπασσον ἢ μεθ’ ὑγροῦ τινος τοῖς μαστοῖς ἐπέχριον retinere malim *solutum* et — suadente Immischio praeceptore — scribere cum l h (cf. etiam constructionem Sorani!) *mamillis ipsis* (l, *ipsis* om. h, *mamillas ipsas* b) *inlinebant.*

ad p. 35, 9. Nonne scriptura *agros* (b l, *acros* l[c] h) defendenda est? (item p. 61, 17 *agro* b, *acr.* cett.). Thes. quidem de hac scriptura nihil profert, sed cf. ind. ad Theod. Prisc. 493 (*agros*); ad Ps. Plin. 117 (*agrifolium* = ital. *agrifolio*); Chiron semel habet *agra* p. 208, 23. — utraque forma in linguas romanicas transiit (cf. etiam Schwan-Behrens, Gramm. des Altfränzös. § 158, 2 Anm.): it. *acre, acro, agro* (*agretto*). francog. *âcre, aigre* (*aigrir*). hisp. *acre* (*agre*), *agro* (*agriar*). port. *acre*, *agro.* prov. *agre.* val. *acru.* —

ad p. 35, 11. Nihil addi debet in resp.: *quoniam* (scil. *agri et salsi cibi*) *partum* (i. e. infantem) *minuunt* (sicut vinum I 91) *et lac exercitius minuet* (v. supra ad p. 34, 10) *et corrumpetur* (*-itur* b).

ad p. 35, 21. *lavent* (l, *labent* b, *laventur* h Rose) reflexive de nutrice quidem dicitur, de infantibus tamen passive semper *lavari* (p. 35, 25. 41, 22 al.), item de muliere aegra (22, 14. 70, 21). de huius verbi usu reflexivo cf. Geyer, progr. Augspurg. 1892, 18–20. Wölfflin AlL X 7. Werner 33. *lavantes* reflex. apud Cael. Aur. acut. 1, 16, 162 restituit Helmreich AlL XII 314. — ceterum cf. supra ad p. 3, 14.

ad p. 36, 6. Pro *statim* (codd.) *satis* legendum est, cf. Ilberg l. c. 114.

ad p. 36, 18. Equidem defendam *gengivas* (b, *ging.* l h, v. ind. 156), item p. 43, 11 et 17. quae forma etiam occurrit Not. Tiron. 54, 7. Gröber (AlL II 438) postulat *gĭngiva* pro *gīng.* (*ĭ* > *e*, cf. Schwan-Behrens, Gramm. des Altfranzös. § 17 a) propter linguarum romanicarum consensum: it. prov. port. *gengiva,* francog. *gencive,* cat. *geni*(*v*)*a,* hisp. *encia.* Gloss. saepissime quidem praebent *gingivae* (v. vol. VI s. v.), semel tamen *gengibiae* II, 33, 56. — de etymologia vocis cf. M. Niedermann, Ĕ und Ĭ im Lat., p. 27 sq. („*Die Grundform des Wortes ist * gĕn-g-eu̯ia*").

ad p. 37, 6. Rose scripsit *singillatim* (l, *singulatim* h (!), deest b), item p. 89, 9 (l h, *singulatim* b, v. ind. 165). contra apud Cass. Fel. (v. ind. 253) cod. vetustissimus g habet *singillatim,* cp recc. *singulatim* (semel *singilatim* c). — Fleckeisen (50 Artikel etc. p. 29) omnino reprobare vult formam *singulatim,* quamquam enumerat locos apud Lucil. Lucret. Plaut. Caes. Cicer. Plin. Suet. inventos quibus inter *singillatim, singulatim, sigillatim* variant codd., et quamquam ipse citat Nonium („*singulatim et singillatim, a singulis*"), cui fidem esse habendam negat, cum textibus corruptis illum saepe usum esse probatum sit neque afferat *singulatim* Priscianus. — equidem puto (sicut etiam Georges ut videtur, v. Wortform. s. *singillatim* [1]) has duas formas simul in latinitate exstitisse, si minus semper, at certe posteriore aetate. saepius enim *singulatim* in codd. occurrit

[1]) qui alia formae *singulatim* testimonia affert.

quam ut ubique ex *singillatim* corruptum esse a librariis credi possit. similiter etiam *singillariter* (Lucr. 6, 1065) et *singulariter* simul traduntur (Georges l. c. s. v.). — ergo duobus illis locis Mustionis formam *singulatim,* praesertim cum etiam codicis h doctrina eam comprobet, censeo esse retinendam.

ad p. 37, 3. Legere malim: *Quomodo infantes unguere potest* (*possit* b l, *possunt* Rose cum h)? subiectum enim subaudiendum videtur *obsetrix* (p. 36, 8) sicut etiam p. 37, 19. non video unde arcessitus sit pluralis, nam restituendum videtur etiam *unguat* . . . *transunguat* (b h, *unguant* bis l), cf. quae seq.

ad. p. 37, 5. Legendum puto: *ita ut aliquando singulatim manus unguat* (h, *-ant* Rose cum l, deest b), *aliquando transunguat totum (aliquando q̄ transunguat totum* b, *deinde totum corpus unguant* l, *aliquando utrasque ungat* h) — quantum omnino hic locus restitui potest. suspectum autem habeo illud *aliquando* — *aliquandoque* editoris, quia omnibus locis occurrit *aliquando*[1]) (p. 43, 4. 50, 4. 54, 4. 55, 6. 58, 11. 18. 64, 15. 71, 7. 9. 75, 12. 78, 6 sqq. 96, 4. 99, 8. 100, 4. 103, 10. 107, 4. 111, 1. 113, 15. 114, 12). ad *transunguere* (quod in lexx. desideratur) cf. Cael. Aur. acut. 3, 3, 13 *circumungere corpus aegrotantis oleo dulci.* — *manus* hoc loco est i. q. bracchium (βραχίονας Sor. 255, 13) ut semper apud Mustionem, qui *bracchium* omnino non habet; similiter *pedes* in versu subsequenti i. q. femora (σκέλη Sor. ibid. 18), qua de re infra agam in append. respondent autem sibi inter se *manus* et *pedes* sicut antea p. 30, 5 et 6. — ad *totum* (addit *corpus* l, cf. vers. 12 et Cael. Aur. supra citat.) nescio an subaudiendum sit *infantem* ex quaestione aressitum.

ibid. 9. Rose praebet: *singulasque partes corporis ita formare ut quae concava esse debent premantur, quae gracilia vero sunt* (b, *quae vero gracilia sunt* l et (om. *sunt*) h) *constringantur, quae extantia, adducantur.* — recte tamen h

[1]) cf. Wölfflin, Was heisst *bald — bald?* AlL II 246—248.

om. *sunt.* nam haec omnia *premere constringere adducere* ad id facienda sunt obstetrici, ut naturae corrigat vitia (cf. Sor. I 102. 103), quod minime efficeret, si quae membra iam *gracilia* sunt, plus constringeret, quae natura *extantia* sunt, amplius adduceret. ergo verborum ordine quem praebent l h accepto legendum esse conseo: *quae vero gracilia* (scil. esse debent) *constringantur, quae extantia adducantur.* cf. Sor. I 103 (p. 278, 14) καὶ περιπλασσέτω τὸν μυκτῆρα διεγείρουσα μὲν αὐτὸν ἐπὶ σιμῶν, θλίβουσα δὲ ἐπὶ γρυπῶν. ibid. 19 εἰ δὲ ἄρρεν τὸ νήπιον ὑπάρχον φαίνοιτο λειπόδερμον, τρυφερῶς ἐπισπάσθω τὴν ἀκροποσθίαν.

ad p. 37, 21. Rose cum h: *ne forte remaneat humor in auriculis* (*auriculas* b l). equidem codd. b l lectionem genuinam esse puto. nam ut *in* c. abl. pro acc. saepe coniungitur in posteriore latinitate (cf. ind. Ros. 158. Rönsch Ital. 406, indd. quorumvis scriptorr. recc.), ita simili confusione ubi aliquid sit interroganti *in* c. acc. loci respondetur[1]) (cf. supra p. 22, 8: *in fortis mulieris femora* (ἐπὶ μηροῖς Sor.) *sedere debet.* praeterea Rönsch l. c. 410. Sittl, Lok. Versch. 128 sqq. AIL III 43. VIII 248. Werner 65 sq. Haag § 102. Oder ind. ad Chiron. 380. Hagen ad Oribas p. XVIII. Geyer ind. ad Aether. 403. inscriptionum affert exempla Diehl, Vulgärlat. Inschr., ind. 166: ex gr. no. 242 = CIL XI 5796 *hec iacet in tenebras.* quam confusionem iam in comoedia occurrere ostendit Rebling, Versuch ein. Charakteristik d. röm. Umgangsspr. 26). cf. etiam *sub*: *superiores vero partes sub didas amplius stringere* p. 17, 14. *occurrere solet inflatio sub umbilicum* p. 62, 2 (contra 64, 6). — ergo non dubitandum quin b l auctoris manum prodant, itemque restituendum: *in orificium* (b l h) *invenerimus* p. 22, 6. *in orificium* (b h *-ciis* l) *invenitur* 20, 19. *caput in orificium* (b l h) *matricis habet* 78, 7. *orificium* (l, nihil adnot. editor de cett. codd.) ibid. 15 (item Rose nihil adnot. ad p. 79, 4). *orificium* (l, cett?) 79, 12. *si naticas eius in orificium vulvae invenimus* (b) p. 88, 2 (sic etiam Ilberg

[1]) Item in graeco, cf. Norden, Kunstprosa II 609.

p. 95). — eodem modo explicandum esse videtur *natare in mare* (*in mare* lh, om. b) *iubemus* (scil. *mulieres quae molam habent*) p. 67, 7, ubi Rose (ind. 158 s. *i*) subintellegi vult ablativum in *-e* pro *-i* exeuntem. cf. CIL III 3107 *i[n] mare perierunt.*

ad p. 38, 20. Equidem *lassus* non probo quia verbum finitum desiderari videtnr. videtur autem *lassas* (b) esse corruptum ex *lassat*, quod recte habet h (*laxat* l). — v. supra ad p. 3, 14.

ad p. 39, 9. Coniecit Rose: *et cum inanem digitum labiis c o r a m* (*eorum* blh) *adplicaveris.* quamquam illud *coram* non offendit praecepta grammaticorum (cf. Stolz-Schmalz, Lat. Gramm. 1910[4] p. 410), tamen hoc loco mihi quidem non placet neque usquam alibi occurrit apud Mustionem. malim conicere *et o r i* coll. p. 39, 8 et 38, 11. *adplicare* cum dativo coniunctum occurrit etiam p. 68, 11: *(spongias) partibus ipsis adplicare hoc est pectini et renibus et ad inguina.*

ad p. 39, 11. Rose hanc praebet quaestionem: *Quomodo cognoscimus quibus causis ploret infans ut* (*ut* apposito dubitationis signo Rose, *aut* bl, *an* h) *propter cibos* (l, *cibus* b, *civum* h qui solus pergit: *an ex aliis causis*)? — *ut* nullo modo hoc loco defendi posse videtur, quamquam saepe *aut* et *ut* confunduntur in codd. (p. 47, 2. 53, 9. 73, 9. 76, 7. 77, 8. 89, 5. 91, 14. 92, 14 al.). recte autem h tradere mihi videtur quaestionem bimembrem *a n propter cibum* (*civum* h) *a n ex aliis causis.* similiter enim infra quoque p. 115, 15 restituendum erit illud *an* — *an* cum h: *separatur autem a n* (*a* h (pro *ā*), om. bl) *hic pulpa sit a n membranum* (l, *haec pulpa posita in membranum* b). de *an* — *an* pro *utrum* — *an* apud recentiores usurpato cf. Stolz-Schmalz, Latein. Gramm. 1910[4] p. 520. — *cibum* numerus singularis confirmatur verss. 4. 7. 15. 21, tota autem illa emendatio a Sorano comprobatur p. 282, 13: δεύτερον ο ὐ δ ι ὰ μ ό ν η ν ἔνδειαν κλαυθμυρίζει τὸ βρέφος, ἀ λ λ ὰ κ α ὶ δ ι ὰ eqs. (ubi „*aliae causae*“ multae et variae enumerantur).

ad. p. 39, 24. Ad scripturam *magrior* (b, *macrior* Rose

cum l h) cf. supra ad p. 35, 9 (*agros = acros*). linguae romanicae habent: it. *macro, magro.* francog. *maigre,* prov. *magre, maygre,* hisp. port. *magro,* cat. *magre,* val. *macru.* cf. etiam Schwan-Behrens, Altfranzös. Gramm. § 158, 2 Anm. —

ad p. 40, 3. Coniecit Rose *aliae didae tradendus est* (*aliae aut detrahendus est* b, *aliae duddae* (*tutrici* C) *tradendus est* l). — quam coniecturam probandam esse nego, cum et nusquam apud Mustionem *dida* sit i. q. nutrix (v. ind. 154), sicut *mamma* saepius usurpatur (ind. 160), et Soranus ne verbum quidem de altera quadam nutrice faciat ubi debuit I 109 (p. 284, 11), immo vero antea[1]) egerit de difficultatibus alteri cuidam nutrici infantulum statim tradendi, cum aut corruptum aut exstinctum sit lac primae nutricis. eo minus credere possum eum ut altera acciretur suasisse, cum paululum infans ploravisset. quae cum ita sint — nisi forte putas *duddae* (l) esse vocabulum infantilis sermonis — *tutrici* („*Wärterin*") potissimum in textum recipere velim, etiamsi dubito sequarve codicem C.

ad p. 42, 18. Ad *conmanducare* (b), cf. ind. 150 s. *ad-*, 152 s. *com-*.

ad p. 44, 2. Rose scripsit *ptisanae* (*tysana* b, v. ind. 164; item *tysana* (*tisana* l) b l p. 72, 1. 100, 24). — equidem scribere malim *tisanae,* quam formam praebent codd. antiquiores licet cum quadam „scriptura perversa" (*y* pro *i* in voce graeca). de *tisana* forma latina quibusque de causis omissa sit littera *p* ab initio fusius iam egit A. Fleckeisen, Jahrb. f. class. Philol. 93 (1866) p. 3[3], quem locum velim conferas[2]). addit Georges (Wortform.) testimoniis formae *tisana* de Varrone, Horat. (*tisanarium*), Martial., Plin. ibi allatis Apicium et Priscianum (*tisanarium* 2, 49). equidem ex recc. addo: Gargil. Mart. (v. ind. 218). Chiron. (v. ind. spec. 464). Authim. (ind. 57). Pelagon. (v. ind. 224 Ihm. s. *ptisana*). varias formae corruptelas praebent codd.

---

[1]) I 97 (cf. Must. I 93) in initio, quem locum conferre iubet ipse editor in appar.

[2]) Exemplis ibi allatis adde *tisicus* = *p(h)thisicus* Not. Tir. 52, 10.

Theodor. Prisc. (v. ind. 533), sed *ptisana* habent omnes codd. Cass. Fel. (v. ind. 249), *ptysana*, *tysana*, *tysena, tisana* Oribas. translatio Bernensis (Hagen p. XI). — tamen in vivo sermone viguisse formam *tisana* probatur linguarum romanicarum consensu: it. hisp. port. *tisana,* francog. *tisane* (Diez, Et. Wörterb. I).

ad p. 44, 4. Paragraphi I 136 excidit in codd. (b l, omnia om. h) et quaestio et initium responsionis, quorum hoc quidem ex Sorano apte addidit editor. equidem etiam quaestionem addere velim hoc fere modo: ⟨*Quid ad ap-tham*[1]) *faciendum est?*⟩ et pergere ita: ⟨*aptha*⟩ (*a. vero* Rose) *quae quidem oris et linguae vulneratio levissima est, frequentius* (b l, *frequentior* Rose) *tamen melle a foris inlinitur.* — ad emendationem meam explicandam haec habeo quae proferam: *frequentius* hoc loco non valet *saepius,* sed *plerumque* (german. ‚*meist*‘, ‚*gewöhnlich*‘), sicut etiam p. 10, 12. 19 (coll. Sor. 184, 25 κατὰ τὸ πλεῖστον). 16, 4 (coll. Sor. 215, 13 ταῖς πλείσταις τῶν κ.). 19, 19. (fortasse etiam p. 62, 6. 80, 3. 95, 16. 96, 15. 103, 20. 108, 6). *tamen* idem hoc loco valere videtur ac *quidem* (cf. *si tamen* = *si quidem,* Sittl Burs. Jahresber. 68, 239. *tamen* = γε Rönsch, Semas. Beiträge II 84), quod vitare voluisse videtur interpres propter *quidem* iam in vers. 4 dictum. oppositum autem est illud *frequentius tamen* (i. e. quotiens solemnis et nullius momenti est aphtha) his specialibus rarioribusque casibus: *si vero creverit fervura . . ., si vero cum abundantia humorum creverit . . . ., vulnera vero intus posita . . . .* ergo *tamen — vero* hoc loco idem fere esse suspicor ac μέν — δέ, ut saepius *quidem — vero* (ex. gr. p. 16, 4: *frequentius quidem — aliquabus vero*) vel *quidem — autem* (p. 9, 13. 100, 6. 9, al.) occurrit apud Mustionem. si enim *quidem — tamen* sibi inter se responderent, quod putavisse videtur editor, potius post *levissima* expectares illud *quidem* quam post pronomen relativum (cf. p. 108, 5: *raro quidem — frequentius tamen*).

---

[1]) De hac vocis ἄφθα scriptura cf. ind. ad Cass. Fel. 199.

ad p. 44, 6. *erundino* (b, *erundinis* l, *hirundino* Rose): cf. *enulei* = *hinnulei* Anthim ind. 53.

ad. p. 44, 11. Supervacuum esse puto scribere *in uno tritas* pro *in unum tritas* (bl, om. h); *in unum* ipse retinet editor in ind. (s. *in*) 159. cf. etiam p. 89, 6: *in unum* (= simul, ὑφ' ἕν, Rönsch Semas. Beitr. II 73) *pariter exire.* 84, 8: *in unum conductis digitis.* nam *in uno* et *in unum* locutiones cum frequentissima in posteriore latinitate terminorum ‚ubi' et ‚*quo*' permutatione (v. supra ad p. 37, 21) et accusativo et ablativo in vivo sermone non iam distinctis (*m* littera finali omissa et *o* item fere ac *u* pronuntiato, ex. gr. *annorum* > *annoro*, cf. Diehl, Vulgärlat. Inschr. ind. 162) in unum fere concidissent, iam a scriptoribus ipsis parum distinctae esse videntur. cf. ind. Ros. ad Cass. Fel. 241: *in uno* = *simul*, ubi omnes codd. saepius habent *in unum.* etiam apud Chiron. (ind. 448) et *in uno* et *in unum* simul occurrunt. *in unum* solum apud Pelagon. observavit Ihm in ind. 231. adde ind. Ros. ad Soran. 409 (s. ὑφ ἕν).

ad p. 44, 21. *mirta* b l, cf. ind. ad Cass. 245. (*murta* p. 29, 8. 70, 20. 71, 17. 112, 3. *murtinus* 17, 10. 69, 19. *myrtinus* (?) 45, 3). omnino semper fere codd. habent *i* pro, *y* quod Rose saepissime restituit, sicut etiam *h* addidit in verbis graecis *encatisma tursus* (p. 70, 18), *trombus, scema* sim. (contra retinuit *ystera, ydropicus, yos,* sim., *encymatismus* al.). equidem in omnibus talibus ad maiorem efficiendam constantiam retinere malim quantum fieri potest codicum (inprimis b) lectiones, sicut fecisse videtur Oder in Mulomedicina Chironis edenda. cf. Abbot, Classical Philol. 4 (1909) p. 236 adn. AlL X 271 (Not. Tir.). —

ad p. 45, 11. Quod praebet h *et lactuariis* (desunt b l, *electuariis* Rose, cf. ind. ad Theod. Prisc.) ostendere videtur formam *elactuarium* (cf. ind. ad Cass. Fel. 234), quam defendendam esse puto eo magis, quod eam aliquando floruisse demonstratur linguis romanicis: it. *lattovaro, lattuaro,* prov. *lactoari-s* (cf. germ. *Latwerge*). dubitaverim igitur quod dicit Körting, Latein.-roman. Wörterb., s. *electarium* (i. e. forma classica): „also an *latte* volksetymologisierend an-

gelehnt". ceterae docte conservant: francog. (*é*)*lectuaire*, hisp. (*e*)*lectuario*, port. *electuario*.

ad p. 45, 18 sq. Sensus non intellegitur nisi addis ex Sorano ⟨*et*⟩ ante *epithima*, quod respondeat *et* antecedenti (vers. 18). praeterea voci *nutrici* respondere videtur dativus ⟨*ipsi*⟩ (i. e. infanti) ante *inducimus* addendus, ut efficiamus: *omnia quae adstringere possunt et nutrici eius damus* ⟨*et*⟩ *epithima, scilicet quod constat de palmulis et lenticula,* ⟨*ipsi*⟩ *inducimus,* coll. Sor. I 126 (ab initio): καὶ γὰρ καὶ καθολικῶς ἕως τῷ γάλακτι τρέφεται τὸ βρέφος, καταλλήλως τῇ νόσῳ τοῦ νηπίου τὴν τροφὸν διαιτῶμεν (quod expressis verbis iam dictum est I 125, p. 297,2: μαστὸν δὲ λαμβάνοντος αὐτοῦ τὴν τροφὸν διαιτῶμεν τῷ περὶ τὸ βρέφος πάθει καταλλήλως ἀλουτεῖν κελεύοντες καὶ ὑδροποτεῖν καὶ τροφὰς λαμβάνειν σταλτικάς), τοῖς δὲ ἐπιθέμασιν ἢ καταπλάσμασιν ἢ καταβροχαῖς ἐπὶ τοῦ νηπίου χρώμεθα καταλλήλως.

ad p. 46, 1. Malim lectionem codd. P C *assellatus* (*-tum* passive h, desunt b l). subiectum enim est *infans* (p. 45, 17), opponuntur autem *si vero ventrem infans solverit* et *si vero plurimis diebus non fuerit assellatus*. cf. etiam Thes. s. v.

ad p. 47, 2. Sensum initii deperditi aptissime ex Sor. p. 302, 19 sqq. supplevit Ilberg l. c. 79, 1. ceterum ultima deperditorum verborum restitui possunt ex vers. 5 coll. 9 et p. 48, 2 ita: ⟨*aut per stricturam*⟩ *aut per fluxum*.

ad p. 47, 10. *gonorria* scribendum est cum b p. 72, 15.

ad p. 48, 14. *sanguinis purgationem* Rose (*sanguinis purgatione* b l, *sanguine purgationis* h). equidem secundum h scribere malim *sanguinem purgationis*, quae lectio confirmari videtur versu subsequenti.

ad p. 48, 21. Defendendam esse puto scripturam *grassae* (b l, item p. 49, 22; nihil Rose adn. ad 76, 2). cf. *grassa* Ps. Sor. quaest. medic. (ed. Stadler AlL XIV 365, 10). Rönsch Ital. 455. Schuchardt, Vokal. I 125. Schwan-Behrens, Altfranz. Gramm. § 27, 1. quam formam ex linguarum romanicarum consensu refinxit Gröber AlL II 440.

ibid. 22. Scribendum est *inpediuntur* cum codd. haec enim est enuntiati structura: *universo corpore (non purgantur) ut sint ... grassae; partibus vero inpediuntur, ut orificium ... callosum habeant.*

ad p. 49, 8. Quod praebet Rose, recto talo stare posse non videtur. lectio codicis h interpolationem olet, cum adiectivum *valitudinarius* alibi non occurrat apud Mustionem atque an omnino ursurpetur apud recentiores mihi valde dubium sit (v. Georg s. v. et Wölfflin, Lat. d. Cass. Fel. 393). quod autem habent b l *sui et* (om. h) corruptum mihi quidem videtur ex *scilicet*, quod saepe usurpat Mustio (v. supra ad p. 3, 20). opponuntur autem *a medicis* et *ab obsetrice, valitudines (valitudini* b, *-ne* l) *universi corporis* et *locale inpedimentum.* ergo emendandum censeo: *valitudines universi corporis scilicet a medicis videntur.*

ad p. 49, 10. ad *inspectae* (blh) cf. Must. p. 55, 19.

ad p. 50, 15. *floccosis* (l h, *locosis* b, *flocosis* Rose). legitur ita etiam Ps. Apul. herb. 62 (a *floccus*, ital. *fioccoso*).

ad p. 50, 22. In iis quae praebet Rose cum l (b), desiderari videtur aliquid, quod recte tradere puto codicem h *(cataplasmatibus etiam ex pollinibus et in mulsa coctis cataplasmamus)*, nisi quod *et* (post *poll.*) delendum esse videtur coll. Sor. 307, 9: χρηστέον δὲ καὶ καταπλάσμασι τοῖς διὰ λινοσπέρμου ἢ ἄρτῳ φυρατῷ δι' ὑδρομέλιτος θερμοῦ. non enim coquuntur ipsa cataplasmata, sed pollines de quibus constant cataplasmata. graecismus *ex* = διά, qui iam apud classicos viget, saepe occurrit apud interpretem, *ex pollinibus herbi cataplasma* legitur p. 101, 6. semper autem dicitur *in mulsa, aqua, vino coquere* (vel *decoquere*) *aliquid,* etiam *ex melle, aceto, pusca decoquere* (p. 45, 7. 70, 16. 19. *ex* = *in*, cf. Hagen (Oribas). p. XIX), nusquam autem *cum* (l, om b) *mulsa coquere alqd.,* cf. p. 63, 7. 68, 19. 101, 20. 102, 19. 104, 14. 19 *ovo cum palmulis in mulsa ... cocto* recte h, ubi item *cum mulsa* (sed *cum* ante *palmulis* omisso) b l.

ad p. 51, 8. Sic Rose: *ex sucis seminis lini, fenogreci* (b) *et radicum bobae* (*radicem bobe* b, *radicem* ⟨*alte*⟩ *bobbę* l, plane corrupta trad. h C P, ‚Moschion' p. 62 Dewez: καὶ

ῥίζας ἀλθαίας τῆς πόας). — plenam atque rectam lectionem ostendere videtur cod. l. nam quod ille habet ⟨*alte*⟩ sine dubio idem est quod p. 52, 11 tradunt b *alteae,* l *alteę,* h C *altee,* Wolf *altheę.* quid sit patet ex Sor. 310, 22 (i. e. locus paragrapho II 1, 13 congruus): ἀφέψημα τήλεως ἢ λινοσπέρμου ἢ μαλάχης ἡμέρου ἢ ἀγρίας. μαλάχη ἀγρία enim alio nomine ἀλθαία = *althaea* vocatur (cf. Sor. 233, 10. Garg. Mart. med. 5: *agrestis malva fortioris effectus, quam Galenus althaeam esse contendit.* Plin. nat. 20, 229: *e silvestribus* (*malvis*), *cui grande folium et radices albae, althaea vocatur*). illo Sorani loco II 1, 13 comparato facile intellegi potest neque b (*alteae bobe*) neque l (*alteae bobbae*) integram ibi (i. e. Must. II 1, 13) conservare lectionem, sed potius h C Wolf, qui *vel* interpositum tradunt, quod similiter etiam hoc loco p. 51, 9 excidisse videtur nescio an sciola cuiusdam librarii coniectura (cf. Isid. orig. 17, 9, 75 *altea quod in altum surgit.* Gloss. V 491, 2 *altea ab altitudine*). ergo in utroque loco scribendum esse censeo *alteae*[1]) *vel bobae,* nam etiam in loco Sorani huc (p. 52, 8) spectanti (II 1, 11 = p. 307, 26) idem fere legitur quod supra de II 1, 13 citavi: τήλεως ἢ λινοσπέρμου ἢ μαλάχης ἡμέρου τε καὶ ἀγρίας ἀφέψημα. — qua emendatione etiam quid sit *boba* (vox punica? v. Ros. praef. p. IV et ind. 167 s. *zenzur*) apparere videtur, nihil enim de hac re habet Thes. s. v. nam quoniam *althaea* est μαλάχη ἀγρία, ex utroque loco elucet illud *boba* vel *bobba* nomen esse herbae illius quae a Sorano μαλάχη ἥμερος bis vocatur, praesertim cum Mustio utrumque locum transvertat fere ad verbum nisi quod leviter commutat verborum (i. e. nominum herbarum) ordinem, ut plerumque facere solet. ergo *boba* est m a l v a d o m e s t i c a, at non est i. q. *eviscum* (v. ind. 151), cum *eviscum* sit i. q. ἀλθαία (cf. Pallad. 11, 14, 11: *althaeae hoc est ibisci folia et radices.* Soran. epit. 64: *herba altea quem latin*[*a*]*e eviscum dicimus.* Ps.

[1]) Hanc scripturam praeter Isid. et Gloss. praebent Soran. epit. 64. Diosc. 3, 157. Cass. Fel. 81, al. v. Thes. s. v. — *alteae* primitus exstitisse p. 51, 9 apparet praeterea ex, ‚Moschione' supra citato.

Apul. herb. 39: *a Graecis appellatur althaea . . . Itali ibiscum vocant*). accedit quod in eadem paragrapho (p. 52, 8) legitur: *sucos fenogreci et malvarum,* i. e. utriusque malvae speciei, et agrestis et demosticae, cum ubique genetiv. herbarum scribere soleat interpres in numero singulari: *fenogreci, alteae, bobae, seminis lini* p. 51, 8. *sucos fenogreci et lini seminis et malvae coctae* p. 89, 13 al.

ad p. 51, 18. Addendum est ⟨*et*⟩ post *valitudinis* coll. Sor. 308, 21: ἐν ἀκμῇ μὲν τοῦ πάθους, ἐν ἀνέσει δὲ τῆς ἐπιτάσεως. — equidem ita pergere velim: *cum scarifatione eas adplicamus* (*eas adplicamus* (super *ad* superscripto *sup*) l, *eas applicamus* h, *ei supplemus* b, *eis supplemus* Rose). nam et insolenter est dictum *cucurbitas .. eis supplemus* (cf. *cucurbitas inponere* p. 63, 19. 112, 17. *cucurbitae adponuntur* 69, 13. *sanguisugas inponimus* 51, 20. *cucurbitas illic ponimus* 51, 22) et facile explicari potest corruptela *ei s|upplemus* pro *eas app*(vel *ad*)*plicamus.* de *adplicare* v. supra p. 45.

ad p. 51, 21. Mire dictum est *quod si parum sanguinem tulerint* (*parum sanguine* b, *parvum sanguinem* l, *parum sanguinis* h). — nescio an hoc loco l lectionem conservaverit rectam. Soranus (p. 309, 3) praebet: εἰ μὲν ὀλίγον εἴη τὸ ἀποσπασθὲν αἷμα, ubi facile interpres pro *paucus* vel *paulus* adiectivis scribere potuit *parvus,* quae omnia in posteriore latinitate rarissime usurpata et *modicus* adiectivo depulsa[1]) inter se confundebantur. *paulus* omnino non legitur apud Theod. Prisc., Cass. Fel., Mustionem, Apic.[2]), nisi quod Mustio bis habet *paululum* (p. 43, 20. 84, 1) et bis abl. mens. *paulo* (p. 80, 3. 91, 5)[3]). quid? in paragrapho I 113 *plurimis coopertoriis* oppositum est *parvitate*[4]) *eorum* (p. 39, 16) et ibid. paulo infra eandem

[1]) cf. Wölfflin, Lat. d. Cass. Fel. 403. Geyer AlL II 127—129 ubi addas Mulomedicinam Chironis in qua plane deest *parvus* (v. ind. 403).

[2]) Geyer l. c. 127.

[3]) *paucus* p. 12, 3. 42, 20. *parcus* p. 11, 14. adv. 17, 7. *rarus* 32, 6.

[4]) Vocem *parvitas* depulsam esse de propria vi et transisse in notionem cognatae *paucitatis* (p. 14, 9) vel inde apparere videtur quod *brevitas matricis* dicitur p. 81, 11, *brevitas capitis* 86, 7. quae vox apud Cicer. non occurrit nisi in libr. de inv. (7ies), contra 12ies apud

inconcinnitatem (ut primo quidem visu videbitur) occurrit *coopertoria etiam plurima vel parva* (Sorani textus a latino ibi discedit). *parvus* et *paulus* non iam distingui confirmatur etiam coll. Theod. Prisc. 2, 111: *teritur cum parvo oleo; parvus* = *paucus* apud Aetheriam abbatissam observavit Meister Rh. M. 64 (1909), 374. — ergo codicis l lectio non reprobanda esse videtur, praesertim cum levissima sit corruptela *parum* pro *paruum* (cf. *serus* = *seruus* CIL IX 2398).

ad p. 51, 22. Anceps haereo utrum cum editore contra consensum codd. lacuna inter *ponimus* et *et sic* statuenda sit, quam *sedamus* (b l) indicare videtur, an cum h *supplemus* (quod b (l) habet 51, 19) pro *sedamus* sit scribendum, quo sensus optimus efficeretur. neque enim Soranus quidquam praebet quod verbis *et sic modum sanguinis sedamus* (*supplemus*) respondeat (cf. p. 309, 3—7). Rose quidem in lacuna desiderare videtur ea quae dicit Soranus enuntiato εἰ δὲ μὴ eqs. (p. 309, 5), quae tamen omittere interpres facile potuit. sed certam rationem non video.

ad p. 52, 9. Retinere malim codd. scripturam verborum *paragorica* et *paragorizare* (= παρηγορεῖν; παρηγορικῶς Sor. 310, 11), ubi Rose scripsit *paregor.*, cf. ind. ad Theod. Prisc. 529. Funck, AlL III 404. 417. *paragor.* scripsit etiam Ilberg l. c. 112. — sunt autem hi loci: p. 52, 9 (*paragorica* b, *paregorica* l, *paregoria* h). 104,7 (*paragoricis* b l, *pareg.* h). 94,8 (*paragorizare* b l h). 107, 13 (*paragorizari* l h, om. b). 19 (b l h).

ad p. 52, 10 sqq. Retinendam esse censeo lectionem codicis b: *fenogrecum* (v. app. crit. ad 51, 8) *diligenter*

Rhet. ad Her. de loco usurpatur binis locis a Caes., Liv., semel ab Ovid., saepius a Vitruv. et posterior. (v. Thes. s. v.). — item *brevis* de rebus dicitur (pro *parvus*, v. Thes. II col. 2181. de corporis partibus ibid. 2182): p. 32, 5 (*mammae*). 68, 6 (*cubiculum*). 80, 16 (*caput*), item 86, 4. 109, 3 (*emorroides*). — saepissime pro *parvus* legitur *modicus*, semel *parvus* adiectum est in cod. b ex glossem., v. appar. crit. ad p. 60, 11. — *parvulus* = infans p. 28, 9. 33, 1. cf. AlL 75 sqq. pass. IX 93. Bonnet p. 206 adn. 15. *parvolus* Rönsch 464.

tritum[1]) *semen* (⟨*et*⟩ ante *semen* add. Rose) *lini accipiat* (sic blh, *-iant* Rose) *et radices alteae vel bobae* (v. supra ad p. 51, 8), *deinde supermissa aqua decoquantur.* — neque enim ipsa pessaria decoquantur, sed suci illarum herbarum una cum adipibus anserinis vel gallinaciis (v. quae seq.). qui adipes, *cum vero pinguis factus fuerit sucus,* per pinnam *super tollantur* et *tum demum sucis*[2]) (vers. 14 recte h) *admisceantur.* cf. integrum locum Sor. II 1, 13 ab init., inprimis p. 310, 15: ὥστε τὸ ἐφιστάμενον πιμελῶδες ἀποσῦραι καὶ εἰς ἔριον χρῖσαι. — ceterum omnes hos versus 10—15 non sibi constans (v. app. crit.) edidit Rose nec ut plane intellegi possint. est enim scribendum vers. 13 sqq: *adipes anserinos vel gallinaceos illic missos et solutos* (v. app. crit.) *de* (b l, *cum* h) *pinna super* (b l, *de super* h) *tollantur* (sic blh, *-ant* Rose) *et sic* (b l h) *sucis* (h, *sucus* b, *suc . . ?* l) *admisceantur* (b l h, cf. vers. 17. *ut sic sucos admisceant* Rose). nam habemus hoc loco acc. absol. (v. supra ad p. 29, 21), qui insuper secundum posteriorum usum male (i. e. subiecto non mutato) pro participio coniuncto (h) positus est eo modo, quo ablativus quoque absolutus nonnusquam usurpatur apud Mustionem[3]). pluribus verbis de illis constructionibus egit Bonnet, Le Latin de Grégoire de Tours, p. 558 sqq. nam quoniam ostendit (p. 559. 561) ablativi absoluti rationes pristinas apud posteriores plane

---

[1]) Id sucus fere esse videtur, cf. Sor. 310, 13 τῆλεως χυλοῦ.

[2]) scil. qui iam in pessario sunt, cf. vers. 8—9.

[3]) I 102: *et in pelve grandi aqua calida limpida et sine odore missa temperare,* i. e. in pelvem grandem aquam calidam limpidam et sine odore missam temperare. *temperare* enim non ad infantem hoc loco spectare potest coll. Sor. 275, 10. (*temperare aquam* Horat. carm. 3, 19, 6. Oribas. (Hagen) p. 17, 14. cf. Mart. 3, 25.) — I 109: *a somno experrecta nutrice quid facere oportet?* — II 17, 4 (p. 78, 21): *aliquando etiam divisis pedibus duabus partibus matricis separatim infigat* (cf. ib. vers. 9 *caput infigit,* 17 *pedes infigat.* — contra p. 87, 5: *si divisis pedibus duabus partibus vulvae plantas infigat?*) — II 18, 11 (p. 84, 10): *et adprehenso pecore (pecude* h Rose, om. bl, v. infra ad loc.) *ad competentem locum corrigere* (scil. *pecus*). — cetera illius usus exempla sunt II 23, 73 (p. 103, 10). 74 (p. 104, 15 *quibus — possunt*). II 34, 94 (p. 118, 9—11). v. infra ad p. 68, 10.

oblivione obrutas esse, ita pergit (p. 561): „*On voit que l'ablatif absolu est devenu une véritable proposition. Pourquoi dès lors s'astreindre à mettre le sujet et le prédicat de cette proposition à l'ablatif, dont la raison d'être était si complètement oubliée? Il était tout naturel de les mettre aussi bien à l'accusatif qui, par ses formes d'abord, et conséquemment par ses fonctions, paraissait si voisin de l'ablatif. L'accusatif absolu prit rang, en effet, à côté de l'ablatif absolu, et dans une proportion beaucoup trop forte pour qu'on puisse voir dans ces constructions de simples confusions accidentelles. . . . Dans les seuls livres I á VI on en trouve près de 200 exemples.*" et peculiariter de illa constructione dicit p. 562: „*Il va de soi que l'accusatif absolu n'est pas plus que l'ablatif absolu soumis aux règles de la syntaxe classique. Les exemples suivants en feront foi* (unum ex exemplis ibi allatis proferam, iam videbis eandem constructionem apud Mustionem licet corruptam codicibus esse traditam): H. F. 2, 2 p. 61, 21: *exhinc (puellam) ad legitimam deductam quaestionem Christo domino capitis decisione (puella) decatur.*" —

ad p. 53, 10. *in balneo acrudo descenderit* praebet Rose in textu, *in balneo acro* ind. 149 s. *acros,* alia rursus ibid. s. *acrudo.* — quid sit *acrudo* adhuc non constat, praesertim cum corruptissimae sint codd. lectt. (*acrudo* h l^c, *ḥacrudo* b et a*g̈ro dū* l, l habet glossema *descendit in solium*). Soranus habet p. 311, 7 ἢ καταβαίνει εἰς τὴν ἔμβασιν. Rose formam illam vult derivare (v. appar. et ind. s. v.) de **acroclo* pro **acrotolo* = *ἀκροθόλῳ[1]), unde etiam *achicholum* Cael. Aur. acut. 3, 152 enatum esse suspicatur. quae incertissima sunt omnia, etiam in Thes. l. l. signum dubitationis illi voci appositum est. equidem potius crediderim aliqua vocabuli *lavacrum* vestigia hoc loco exstare scil. ablativi *lav|acro* (cf. *agro dū* l). quae vox apud Mustionem saepissime legitur pro *balneum,* ita tamen ut *balneum* non usurpare videatur interpres nisi de thermis publicis (ubi

---

[1]) Non exstat haec vox in Thes. l. graec.!

Sor. βαλανεῖον), *lavacrum* de lavatione domestica (ubi Sor. plerumque λουτρόν). nam quotiens de infante agitur semper *lavacrum* usurpatur, quotiens autem de nutrice, *balneum*[1]), cf. I 107 et inprimis 124, ubi interpres plurimis antea verbis de *lavacro* infântium factis pergit ita: *Quomodo primo in balneo infans lavari debet? cum . . . magis solidior fuerit effectus.* nulla autem de illa re relinquitur dubitatio coll. Sor. 286, 11: πηγνυμένου δὲ τοῦ βρέφους μᾶλλον καὶ τὸ ἐν οἴκῳ δεῖ λουτρὸν παραιτεῖσθαι, χρῆσθαι δὲ βαλανείῳ. huc adde Glos. II, praef. XII: *publica aedificia . . . balneae sive thermae* et testimonium Varron. de l. l. 9, 68, quod exscripsit Thes. II 1705, 71—77. — quibus comparatis omnibus genuina lectio hoc loco mihi quidem fuisse videretur *in lavacro descenderit* (εἰς τὴν ἔμβασιν Sor.), non *in balneo,* cum de lavatione domestica, non de thermis publicis hoc loco agi ex tota mulieris aegrae condicione apparere videatur, nisi rursus vers. 13 legeretur *post encatisma vero vel balneum* (ubi nihil praebet Sor. quod respondeat). sed potest hoc fere factum esse: primo quidem loco interpres ipse scripsit *lavacro* vertens ἔμβασιν, deinde autem aut de suo aut βαλανεῖον voce nescio an in responsionibus[2]) Sorani inventa *balneum* usurpavit. quae varietas dicendi cum intra paucos versus exstitisset, iam antiquissimorum librariorum aliquis commoveri potuit ut pro primo *lavacro* per analogiam coniceret adscriberetque *balneo,* quod hoc modo relictis alterius vocis vestigiis huc pervenisse suspicor. —

ad p. 53, 11. Rose omnibus locis scripsit *penicillus* (plerumque h, *pinnicillus* b, *pinnicellus* l): ita hoc loco p. 53, 11. — *pinnicillo* b h, *-cello* l p. 60, 4. — *pinnicellum* l, *penicillum* h, om. b p. 69, 10. — *pinnicillus* l, *penicillus* h, om. b ibid. 12. — Gloss. exhibent formas has: *penicillum* σπογγεῖον II 145, 3. *penicellum* σπογγο⟨ς⟩ III 207, 50. *pinicellus* σπογγιά III 604, 36. suffixum-*ellus* (l) conservant linguae romanicae (cf. Cohn, Die Suffixwandlungen im Vulgärlatein p. 50), quae praeter italicam etiam habent *i*

[1]) *balneum* praeter I 107. 124. II 1, 14 non legitur apud Must.

[2]) cf. supra p. 9.

pro *e*[1]) in prima syllaba: it. *pennello*, francog. *pinceau*, hisp. port. *pincel* (cf. germ. *Pinsel*).

ad. p. 53, 17. Nescio an recte tradant blh *terebentina* (= acc. plur. neutr., *terebintinam* Rose, ῥητίνης τερεβινθίνης Sor. 311, 15) quod item occurrit p. 98, 9 (*terebentina* lh, om. b, *terebintinam* rursus Rose), ubi vers. 19 *resinae terebentinae* (h, *-bintinae* l, om. b). de *-bentina* pro *-bintina* cf. linguarum romanicarum formas, quae etiam ex plur. neutr. profectae esse videntur, nisi potius *resina* est subaudiendum: it. *terebentina, trementina.* val. *trementin, termentin, trepetin.* prov. *terebentina, terbentina, terebinte.* francog. *térébenthine.* hisp. *terebentina.* cat. port. *trementina* etc.

ad. p. 55, 17. Recte in vers. 17 *erit* habet l (*sunt* h, deest b, *erunt* Rose) coll. 10: *dolor et tumor et inflatio invenitur.* 12: *supra pectinem est dolor et inflatio.* 14: *in renibus eius dolor et tumor erit.*

ad p. 56, 13. *eorum* nisi mendum typographicum[2]) est pro *earum* (nam de mulieribus agitur), falso iam codicibus traditum esse potest, cf. p. 67, 6 (appar.) *eum* pro *eam* b. 70, 13 *has* recte h, ubi *hos* l (deest b).

ad p. 56, 16. Legendum puto: *cataplasmata* (*-plasma* l Rose, *-plasmate* h, deest b, καταπλάσματα Sor. 318, 16) *etiam de seminibus adponenda* (codd., *-ponendum* Rose) *est* (*est* lh?), cf. supra ad p. 28, 13.

ad p. 57, 11. Rose scripsit cum h: *quod (satyriasis) frequentius viris* (*ominibus* b, *hominibus* l) *occurrat* (oppos. *feminis*). — equidem *hominibus* lectionem retineri posse puto, pro qua doctus librarius codicis h correxit *viris*, i. e. vocabulum apud classicos quos nos dicimus in illa sexuum oppositione usitatum. facile enim haec notio specialis *homo* = *vir*[3]), quae in linguas romanicas transiit, initium

---

[1]) Körting s. v.: „Das *i* statt *e* erklärt sich wohl aus Anlehnung an *pingere*".

[2]) cf. supra p. 39 adn. 1.

[3]) Conferre me iubet praeceptor *mi homo* et Min. Fel. Oct. 4, 4: σκέψεως *sectae homo.* — similiter in graecis, cf. Wilh. Schulze, Graeca Latina p. 22.

cepisse potest iam a Mustionis temporibus. huc spectare videtur etiam p. 73, 1 *speciosos hominum vultus.*

ad p. 58, 12. Rose cum b l scripsit *urgeantur* (*ungueantur* l[c], *torquent* h). — equidem cod. h recta ostendere crediderim. quod enim symptoma legitur loco Sorani huc facienti p. 320, 16: συνολκή τε σπασμώδης τῶν ἄκρων iterum occurrit in eiusd. cap. § 28 (p. 322, 10): πρᾴως ἐξαπλοῦντα πᾶν τὸ συνελκόμενον, ubi Mustio vertit (p. 59, 24): *et porrectis manibus ac pedibus eius qui de valitudine torqueri* (b l h) *solent.* accedit quod omnino fere Mustionem de eadem re rursus agentem eisdem semper verbis uti solere saepe vidimus. ergo *torqueantur* genuinam esse lectionem levi mendo in *(t)urgueantur* corruptam nemo erit qui non intellegat.

ad p. 59, 20. *metasincretice* (h b, *metasyncritice* Rose, μετασυγκριτικῶς), quam formam habent etiam codd. Cass. Fel. (ind. 211) et Matth. Silvat. (fol. 118), restituendam esse censeo. hi sunt loci: p. 59, 20 *metasincretice* (b) h, corrupt. l. 60, 23 b l h. 63, 4 b l h. 63, 19 b l h. 66, 20. 21 nihil adn. Rose, sed cf. app. crit. p. 112, 20. 66, 24 b l h. 72, 11 nihil Rose. 73, 3 et 105, 4 et 112, 20. 21 b l h. exorta autem est illa forma ex frequentissimo itacismo quem nos dicimus κρητικός—κριτικός, quem praebuisse videtur liber Sorani de quo vertit Mustio. —

ad p. 60, 7. Rose habet: *lanis etiam mundis universo acro contecto* (*universa acra* (*agra* b) *contecta* (*-tis* l h) b l h). perperam etiam Thes. secundum Ros. (s. *acra*): „ibid. (II 4, 28) collective (!)[1]: *lanis ... mundis universo acro contecto.*" nam rursus hoc loco b l h tradunt recte acc. absol., de quo pluribus verbis iam egi supra ad p. 29, 21 et 52, 10 sqq.

ad p. 61, 14. Restituendum est *fugiret* (b l, *fugeret* h, cf. ind. 156). forman *fugire* pro *fugere* ex linguarum romanicarum consensu vulgarem fuisse collegit Gröber. AlL II 428.

---

[1]) cf. p. 60, 3 ***universa acra.*** item 68, 13. cf. 56, 13.

ad p. 62, 19. Nonne pro *aliquando* coniciendum est *aliquibus* (quod respondeat priori *aliquibus* 18)? cf. Sor. 327, 5: τισὶ μὲν ἀεὶ διαμένει, τισὶ δὲ διά τινος χρόνου γίγνεται (cf. *aliquabus* p. 10, 22. 16, 4). — *interdum* apud Mustionem praeter hunc locum non occurrit nisi p. 110, 15 saepissimeque cessisse apparet adverbio *aliquando* (cf. AlL II 247). significat autem *interdum* (cf. etiam Rönsch, Semas. Beitr. II 72) idem ac nobis „*von Zeit zu Zeit*". opposita ergo sunt *aliquibus* (vers. 18) et *aliquibus* a me coniectum, sicut opponuntur *perseverat* et *interdum se ostendit et retollit se.* —

ad p. 63, 8. Equidem malim retinere formam *pulegium* quam praebent b h (*puleium* l[c] pro *pulcium* l 1 m.). praeterea occurrunt: *pulegium* b, *puleiu* (sic) l h p. 63, 13. — *pulegium* (l (b?), om. h) p. 67, 11. — *pulegium* (h (l?), om. b) p. 98, 11. — quam formam Georges („*Handwörterbuch*" et „*Lex. d. lat. Wortf.*" s. v.) deprompsit de Cels., Scrib., Plin. Val. Chiron habet *pulegium* p. 45, 19. 115, 10. 229, 27. 250, 14. *puleium* 50, 3. — Gloss. exhibent *polegio* III 544, 56. 546, 40 (cf. it. *poleggio*). *polegium* 546, 54. sed legitur etiam *puleium,* cf. vol. VI s. v. —

ad p. 64, 7. Rose praebet *postmodum* lectionem codd. b l, ubi rectius mihi quidem videtur conservare h *post modicum* (cf. p. 38, 1. *post modicum* = *mox,* v. Hagen (Oribas.) p. XXI.). Rose ipse in appar. confert Sor. (p. 330, 2) μετὰ βραχὺ, praeterea conferas velim p. 62, 14: *quae inflatio digitis pressa cedat et statim se iterum colligat.*

ibid. 9. Pro *adductis* (codd.) coniciendum esse puto *adducta,* cum non *digiti* adducantur, sed *cutis.* cf. Sor. 330, 2: τὸ δὲ ἐπιγάστριον ὁμόχρουν ἐστὶ καὶ τοῖς δακτύλοις ἑλκόμενον ἐπακολουθεῖ.

ad p. 65, 1. *cum punctionibus: cum* (om. b l) male addidit h, quia *non* (b l) in versu sequenti omisit. delendum est.

ad p. 65, 9. *semper* (b l, om. h, *saepe* Rose), quod non contra sensum esse puto, retinere malim. nam *saepe,* quod

omnino paene exstinctum est apud recentiores (cf. Wölfflin, Lat. d. Cass. Fel. 410. AlL XII 379), non inveni (praeter comparativum *saepius* p. 73, 8) apud Mustionem, qui semper usurpat *frequenter* et *frequentius*. contra *semper* (cf. Wölfflin, Lat. d. Cass. Fel. 411) apud Mustionem quidam adhuc viget (p. 11, 13. 32, 13. 40, 8. 59, 11. 70, 15. 72, 19).

ad p. 66, 1. *ab eo* recte blh (*eo* Rose), cf. p. 58, 22. 115, 16. ind. 149 s. *a*.

ad p. 66, 19. Non sibi constat editor, quod hoc quidem loco scripsit *dia chylon* (*diaquilon* bl, *diacylon* h), retinuit autem *diaquilon* (bl, *dia chilon* h) p. 53, 19. — equidem praeferam codd. bl scripturam, quae item est restituenda p. 98, 3 (*diaquilon* l, *diachilon* h, deest b). cf. ind. ad Cass. Fel. 202 (s. διὰ χυλῶν) et 232. praeterea ind. ad Must. 157 s. *h*.

ibid. Scribendum est *Mnaseu* (*manasse* b, *manasen* l, *masseu* h, *Mnaseae* Rose), quod recte restituit ipse editor p. 98, 4 (cf. Sor. 332, 11 Μνασέου[1]). cf. genetiv. graec. *Hermolaou* Cass. Fel. p. 52, 6. *leucoiu* 56, 3.

ad p. 68, 10. Legendum esse videtur cum codd. *habeat* (bh, *-ant* l) et *iaceat* (blh), quamquam antea legitur pluralis *eas* . . *coeperint* (vers. 5). singularem enim numerum in sequentibus indicant *eius* (i. e. mulieris) 16. 17 et *mulier* p. 69, 2. simillimam autem numeri commutationem habes, ut unum afferam exemplum, p. 56, 10—17. ad talia spectare videntur verba ipsius interpretis in praef. p. 3, 6: *veritate rationis potius nisus quam structa oratione vel diligentius polita usus.*

ibid. Retineri potest abl. abs. *spongiis* (*exspongiis* codd.) *etiam* (om. b) *latis* (l, *latus* bh) . . . *intinctis*, v. exempla illius usus supra (p. 54 adn. 3) citata.

ad p. 68, 14. Recte pro *aut* (blh) correxisse videtur *et* (*et in aqua*) Rose. equidem etiam *et fasciolis* (*aut fas c.* codd.) scribendum esse puto coll. Sor. 335, 4: καὶ τῶν ἄκρων

[1]) *Mnaseas* erat medicus clarissimus (Lüneburg-Huber, Die Gynäkol. des Sor., p. 15 adn.).

προστυπῆς διακράτησις καὶ διάσφιγξις. . . . (καὶ ἡ εἰς ψυχρὸν ὕδωρ κάθεσις τοῦ προσώπου ἢ eqs.).

ad p. 70, 3. ad *calciten* (h, *-te* l, deest b, *chalcitin* Rose) cf. ind. ad Cass. Fel. 228.

ad p. 70, 19. Haud scio an h recte tradat *attagenam* (*adtegena* l, deest b, *attagena* Rose), cf. AlL XII 89. 176 et Thes. s. v.

ad p. 71, 7. § 43 finienda est verbo *habeat*, ut 44 initium sumat a verbo *differt*, cf. Sor.

ad p. 72, 6. Non intellego quid illud *in priore* (bl, *inpore* et scr. *l:* supra *p* cod. h) in hoc contextu sibi velit. occurrit quidem *in priore* p. 74, 16 (v. ad loc.) et 78, 8, ubi *parte* subaudiendum est (v. ind. 163), sed opposita ibi sunt *in iusum et retro* (de corporis partibus dictum) p. 74, 18, *retrorsum* p. 78, 9. ceterum mire dictum est illud *tamen* ab initio enuntiati insequentis. accedit quod antea Mustio de vulneribus (i. e. ulceribus, v. ind. Ros. ad Theod. Prisc. s. v.) dysenticorum verba omnino non fecit. veram autem rei rationem ostendere videtur id quod corrupte tradit h, cuius in corruptela verba *in posteriore* inesse suspicor. nam et re vera infra (cap. XXII) Mustio plurimis verbis *de vulneribus in matrice positis* agit et legimus apud Sor. 341, 2: ὧν μνημονεύσομεν μικρὸν ὕστερον περὶ τῶν ἐν μήτρᾳ διαλαμβάνοντες ἑλκῶν. — qua emendatione facta sic separanda esse videntur enuntiata: . . . *limpida vel sordida vulnera curamus. in posteriore tamen, cum coeperimus* eqs.

ad p. 73, 1. Rose scripsit: *nec de partibus veneriis fabulae cum ipsis misceantur.* — equidem malim retinere quod praebent codd. bh *veneris* (*bene* l). neque enim de partibus corporis humani pudendis fabulae subaudiendae sunt, sed *partes* hoc loco idem fere ac *munus* valere videtur (v. Georg. s. v. II Gb: *tuum est hoc munus, tuae partes,* Cic.). cf. Sor. 343, 4: μήτε τοὺς περὶ τῆς συνουσίας λόγους τίθεσθαι.

ad p. 73, 6. Equidem retinere malim codd. bl lectionem: *Mulieres . . . habentes* (*mulieribus . . . habentibus*

Rose cum h). habere enim videmur hoc loco nominativum (vel si mavis accusativum[1])) absolutum. ceterum apud Mustionem non tam certa sunt nominativi absoluti testimonia quam accusativi, v. infra ad p. 90, 19 et 96, 15.

ad p. 74, 16. *in priore* (l h, desideratur b, scil. *parte* εἰς τὰ ἔμπροσθεν Sor., *in priora* Rose) recte traditum est. oppositum est vers. 18 *si vero* (*in iusum et*) *retro se inclinaverit.* cf. p. 78, 8 *in priore ab orificio aut retrorsum caput infigit* (scil. *infans*), 84, 2 *in priore parte . . . pecus infixum est.* — de *in* c. abl. pro acc. coniuncto v. ind. 158 et supra p. 44.

ad p. 75, 14. Recte l: *cum omne corpus habeat* (*habent* h, deest b, *-beant* Rose) *in causa.* cf. *per virum* (13), *ipsius* (16), *enervatus sit* (18), *vir — solet* (19).

ibid. 15. Restituendum est *et* (codd., *ut* Rose). totum enim enuntiatum pendet de *cum* (14).

ad p. 77, 13. Scripturam codd. *emorroides* (*emorroi*(*y* l)-*das* b l, *hemorr.* h, *haemorr.* semper Rose) retinere malim, quam etiam Ilberg restituit l. c. 87 in loco Must. p. 81, 2: *emorroidis* (i. e. abl. decl. II, qui item est restituendus p. 108, 3: *de emorroidis* (l, *-as* b, *-es* h, *de haemorroidibus* Rose), sicut declinationes *haemorrhois*, *-ides* et *haemorrhoida*, *-idae* pariter occurrunt etiam apud Cael. Aur., cf. Helmreich AlL XII 176.). — praeterea; *emorroides* (h, *-as* b, *-is* l) p. 108, 5. *emorroides* (h, *-as* b, *-is* l) 109, 1. *emorroidas* (nihil adn. Rose) 109, 18. *emorroides* (l h, *-as* b) 110, 3. — cf. *emorragia, ematos* (= αἵματος) Cass. Fel. ind. 195. *emorigia, emorois* ind. ad Chiron. 364.

ad p. 77, 19. *vel tres manus:* monet Ilberg (l. c. 114) interpretem byzantinum (qui habet ὅλον τὸ σῶμα τῆς γαστρὸς μεῖζον) *ventre*(*-is*) *maius* legisse videri pro *vel tres manus.* Soranus praebet haec (p. 351, 24): ὅταν ἦ ὑπερμέγεθες ὅλον ᾖ, ἢ κατὰ μέρος οἷον εἰ ἔχει μεγάλην κεφαλὴν ἢ θώρακα ἢ κοιλίαν ἐμπεπλησμένην, ὡς ἐπὶ ὑγροκεφάλων[2]), nihil ergo habet quod ad illas lectiones spectet. equidem hoc loco codd. recte

---

[1]) v. supra ad p. 29, 21.

[2]) Ceterum propter verba κοιλίαν ἐμπεπλησμένην potius pro ὑγροκεφά-

tradere *vel tres manus* puto. nam bono sensu *ventre maius* caret, nisi forte ventrem matris subaudis, quod absurdum esse mihi quidem videtur (ita Dewez: „vel totum corpus uteri capacitatem suo volumine superaverit" p. 104). *manus* autem hoc loco ut saepe apud Mustionem pro *bracchium*[1]) dictum est. ceterum cf. Sor. (in eadem § 55) p. 353, 18: γίγνεται δὲ δυστοκία καὶ παρὰ τὸ τετρατῶδες χυίσκεσθαι et ipsum Must. p. 81, 4 (*Soranus . . vult . . adfirmare . . inpediri partum . .*) *numerositate partium, ut tres manus vel pedes habeat* (scil. *infans*), ubi pariter haec vertit sensu carentia interpres byzantinus (p. 98 Dew.): ἢ τῇ πλεονεξίᾳ τῶν μερῶν τῆς γαστρός, τῶν χειρῶν ἢ τῶν ποδῶν („vel excedentibus ventris partibus, manibus aut pedibus" vertit Dewez!). solemne ergo sui codicis latini mendum vertisse videtur ‚Moschion'.

ad p. 78, 18. Restituendum est *ipsud* (h, *ipsa* b, deest l, *ipsum* Rose), quod retinuit cum codd. ipse editor p. 65, 13 et 117, 19. pariter restituendum est p. 93, 6 (*ipsud* b, *ipsum* cett.) — cf. ad hanc formam ad *istud* accommodatam ind. Ros. 159. ind. ad Theod. Prisc. 521. ad Anthim. 53, ad Garg. Mart. 217. (*ipsut* Hagen (Oribas.) p. XVI). Rönsch, Ital. 276. Wölfflin AlL IV 271. Geyer, Burs. Jahresber. 98, 113. Werner 31. Haag p. 50.

ad p. 79, 13. Equidem sic legere malim: *proximum vero bonum schema est quotiens* eqs. (v. appar. crit.). cf. quaest.: *ex quattuor schematibus . . . quae sunt exoptabilia . . . ?*). — lectionem cod. b *nascencium infantium* genuinam non esse confirmatur eo quod *infantum* forma genetivi occurrere solet apud Mustionem (p. 37, 15. 22. 44, 16).

ad p. 79, 16. Post *porrectis* haec in textum inserenda esse videntur quae soli tradunt b l (om. h, qui infra p. 84, 21—85, 2 solus eadem tradit licet brevioribus verbis in loco interpolato[2]) p. 84, 14—85, 6): *numquam eos* (i. e. *pedes*)

λων exspectares ὑδρωπικῶν, quod habent et Mustio (*hydrops* b l, *ydrox* h) et interpres byzantinus. —

[1]) v. infra append. s. *pes*.

[2]) quod rectissime statuit Ilberg l. c. 90—93.

obsetrix adducat, sed cum descendere coeperit, inmissa manu sua eius manus teneat (*inmissa — teneat* l, *inmissam unam et teneat* b) *et ipsas adducat, ne manus aperiat et ibi remaneant (eas remaneant* b, *eas dimittat* l, cf. p. 79, 18 locum a solo h interpolatum: *ne manus ibi separatae remaneant* et p. 84, 18, ubi eadem res item a solo cod. h per interpolationem repetitur: *ne manus extendat et ibi remaneant).* — quae praecepta quae ad rationem obstetriciam capitulo XVIII insequenti expositam spectant, occasione iam hoc loco, ubi de causis (p. 76, 21. 80, 18) agitur, data, inseruisse videtur interpres secutus ipsum Soranum p. 352, 18—21. quae hoc loco omisisse videtur h ideo ut infra omnia schemata omniaque praecepta obstetricia in unum praeberet collecta (cf. Ilberg l. c. 91). exstitisse autem hoc potius loco illa praecepta vel eo confirmatur, quod b iam ad hunc locum praebet etiam fetuum et per caput et per pedes exeuntium duo schemata picta, quae ipsa quoque habet h infra ad p. 84, 19 R. (Illberg 90). ceterum, ut hoc addam de codicis h interpolatione, accuratius considerantem non fugiet librarium eius ita discerpsisse illa praecepta (scil. b l codicibus hoc loco tradita), ut verbis quibusdam mutatis additisque primam illius enuntiati partem interpolaret infra p. 84, 21—85, 2 ut iam supra dixi, alteram autem *(ne — remaneat)* similiter accommodatam praeberet hoc ipso loco post *metus est*, ubi recte finem paragrapho faciunt b l.

ad p. 80, 13. Equidem non puto statuendam esse lacunam post vers. 13 (v. appar.), quam latere inde collegit editor, quod ad qu. 3 redire videtur responsio (vers. 14—17) nec convenire quaestioni propositae. tamen plane apta responsio esse quaestioni mihi quidem videtur, nisi sequentia (p. 80, 18—81, 5) separas ab antecedentibus[1]), sed si potius ea quoque subiungis responsioni octavae quaestionis

---

[1]) Qua in re editorem secutus est Ilberg l. c. 86: *„Am Ende seiner Behandlung der causae von Schwergeburten, nach der 8. Frage, deren Beantwortung in den Hss ausgefallen ist, fügt Muscio einen abschliessenden Passus folgenden Wortlautes hinzu: haec sunt causae“* (eqs.).

(sicut fecit etiam ‚Moschion' p. 97 Dew.): iam habebis *causas ex omnibus mixtas.* neque enim puto eam responsionem quam versibus 14—17 habemus remotam[1]) esse a qu. 3 (p. 77, 16—21), propterea quod et res et verba iterantur (*languidus, mortuus*). quod verss. 14—17 in graecis hoc loco non exstant (Rose in appar.), conferas velim adnotationem ipsius editoris ad p. 77, 2: „de quarta (scil. *causa quae ex omnibus praedictis causis miscetur*) nihil legitur in graeco textu". qua de re cf. Ilberg 86—88.

ad p. 80, 18. Codicum b l lectionem, quae confirmatur ‚Moschione' (p. 97 Dew.), rectissime restituit Ilberg p. 87.

ad p. 81, 1. *clavulis* (sic Rose, item p. 107, 1. 108, 13), haec vox i. q. *clavus*, θύμος (ind. 152), occurrit in re medica praeter Mustionem apud Chiron. (ter, v. Thes. s. v.), Marc. Empir. 33, 53. Theod. Prisc. p. 93, 19 R. sed tam corrupte et incerte apud omnes fere illos medicos tradita est, ut iure an illa forma ab ipsis scriptoribus usurpata sit dubitari possit. recte enim Thes. (s. *clavulus*) ex Chironis locis (706 bis trad. *daulum* et *dauculum*, 923 *clauclos*) eruit forman *clauculus* adhuc ignotam, quae confirmari videtur codicibus Mustionis antiquioribus (v. ind. 152): p. 81, 1 *cauculis* b (*claulis* l, *clausis* h). 107, 1 *clauclis* b l (*claulis* h). 2 *claucli* b l (*clauli* h). 108, 13 *clauclis* l (*claulis* b h). recte in ind. adnotat Rose: „*claucli* id est *claviculi*", nam forma esse videtur per syncopen quam nos dicimus contracta. *claviculus* enim in re medica eadem notione legitur Plac. med. 15, 3. cf. etiam ind. ad Theod. Prisc. 502 s. *clavus*: 1, 62 *claulae* = *clavulae* B. 1, 89 *glauli* r, *lauli* B, *cauli* b, (*clavuli* Rose). — similiter *naucella* = *navicella*, v. ind. ad Must. 162.

ad p. 81, 2. Retinendum est *simillimis* (b l, *similibus* h). saepissime enim apud Mustionem superlativus invenitur pro positivo[2]). ex exemplorum multitudine haec tantum

[1]) Ilberg ibid. adn. 3: „*Sie ist also versprengt*", ... „*bezieht sich auf den zweiten Punkt p. 77, 16.*"

[2]) sicut omnino in recentiore latinitate, cf. Wölfflin, Comparation p. 57 sqq. Rönsch, Ital. 415 sq. Sittl, Lok. Versch. p. 100 sqq. Ind. ad Chiron. p. 309. A l L IV 261 VIII 246 sqq.

afferam vel maxime huc spectantia: p. 59, 15 *a simillimis valitudinibus* (Sor. 322, 3 πρὸς τὰ παρακείμενα πάθη). 63, 11 *pessaria simillima rebus praedictis* (Sor. 328, 22 τῆς δὲ αὐτῆς δυνάμεως). 77, 17 *difficillimum partum* (76, 22: *difficilis partus*). 67, 16 *ex difficillimo partu* (Sor. 334, 4 ἀπὸ δυστοκίας).

ad p. 82, 3. Recte *praeterea* pro *propterea* videtur proponere editor coll. Sor. 357, 22: μετὰ δὲ ταῦτα. *nam* hoc loco est i. q. δὲ, ut saepe[1]). satis enim ad verbum hic quidem vertit interpres.

ad p. 82, 15. Solus b recte tradit acc. absol.: *manus sub ascellas missas* (*manibus sub ascellis missis* Rose cum l h). v. supra ad p. 29, 21. — de acc. *ascellas* cf. p. 118, 7: *reliqua fasciae sub anquilas* (*anquiles* b, *-le* l, *anguilas* h) *missa*.

ad p. 82, 20. *et metuentem quidem hortari debemus securamque facere quod* (h, *ut* = ὡς b l) *non periclitetur*. — nonne *ut* potius legendum est? cf. ipsum editor. ind. 166 (s. *ut*).

ad p. 83, 1 sqq. Recte l tradit *odoribus* (*doloribus* b h, Rose)[2]). nam plane in rerum ordine interpres secutus est Soran. § 59, qui haec habet loco congruo (p. 358, 20): τὴν δὲ λειποθυμοῦσαν τοῖς ἀπληκτοῖς ὀσφραντοῖς ἀναληπτέον. — quid autem quae sequuntur *pane ferventi vel tosto, cucumere, pepone* hoc loco sibi velle videntur? Soranus quidem post ἀναληπτέον pergit ita: τὴν δὲ ἄτονον μὲν διὰ μακρὰς ἀσθενείας βραχέος κουφισμοῦ παρεμπεσόντος θρεπτέον ὀλίγῃ καὶ ἁπλῇ τροφῇ, οἷον ἄρτῳ, σικύῳ, πέπονι, ἀλφίτῳ νενοτισμένῳ eqs. quae verba luce clarius est vertisse Mustionem paulo infra (vers. 4) his: *si vero ex antecedente aegritudine lassa ad partum venerit occurrente laxamento simplici cibo resumimus*. pergit autem *pinguissimam autem mulierem* eqs. manifestum ergo est rectam traditionem arbitraria cuiusdam

---

[1]) cf. ind. 162. Sittl, Lokale Versch. 138. Bonnet 317 sq. Werner 108. AlL IV 276. Geyer, ind. ad Aether. abbat. 407. Burs. Jahresber. 98, 82. — item *enim*, v. ind. 155.

[2]) Quae verba facile in codd. confundi posse videntur, cf. appar. ad p. 21, 10.

librarii codicibus b l h antiquioris „emendatione“ esse corruptam. qui *doloribus* (b h) pro *odoribus* (l) corruptela adductus et insuper fortasse *resumimus* verbo bis in fine enuntiati posito (verss. 2 et 5) deceptus commutavisse genuinum videtur enuntiatorum ordinem. sic ergo legendum est: *submalefientes autem odoribus resumimus. si vero ex antecedente aegritudine lassa ad partum venerit, occurrente laxamento simplici cibo resumimus, pane ferventi vel tosto, cucumere, pepone, etiam polentae madentis glebam transglutiat. pinguissimam autem* eqs. — qua ex emendatione sequitur omittendum esse *doloribus* ind. 166 s. *submalefientes.* est enim *submalefieri* (quod adhuc in lexx. desideratur) i. q. *animo defici* (λειποθυμεῖν Sor. 358, 20). cf. Cael. Aur. signif. diaet. pass. 89 (ed. Rose Anecd. II 234): *et magis si acrem liquorem biberint, statim morsum stomachi patiuntur, malfiunt, infrigidantur*[1]. de substantivo *malefactio* cf. Paucker, Spicileg. Addendorum Lexicis Latinis (1875) p. 97.

ad p. 84, 2 sqq. Verss. 84, 2—13 codice h solo traditos non interpolatos, sed genuinos esse gravissimo argumento approbat Ilberg l. c. 90. quem tamen in eo non secutus sum, quod lectionem codicis *in priorem partem* (. . . *infixum est*) retinere vult, quam bene correxit Rose *in priore parte* coll. p. 78, 8. 16.

ad p. 84, 10. Rose secutus codicem (h sol. trad.) praebet: *et adprehenso pecude ad conpetentem locum corrigere.* — etiamsi *pecus, -udis* pro masculino usurpatum occurrit in latinitate (v. Georg. s. v., adde Chiron. ind. 404), tamen *pecore* hoc loco emendandum est. neque enim *pecus, -udis,* sed *pecus, -oris* i. q. fetus, ἔμβρυον (v. ind. 163) valere videtur (cf. Georg. s. v. 3. ind. ad Theod. Prisc. 530). similiter *pecudis* habet h etiam p. 10, 10 (v. ind. 163), ubi secutus codd. b l recte Rose retinuit *pecoris.* confirmatur

---

[1]) Ceterum hoc rarum verbum (*sub*)*malefieri* testimonium est, quo concludi posse videtur, non valde differre Mustionem regione atque aetate a Cael. Aur.

lectio *pecore* versu 11: *si vero valde infixum est* (scil. *pecus*, cf. vers. 2).

Versus p. 84, 14—85, 2 solo traditos codice h interpolatos esse rectissime statuit Ilberg l. c. 90—93 (cf. etiam supra ad p. 79, 16), quem in eo quoque secutus sum, quod qu. 14 (p. 85, 3—6) uno cod. h et ipsam traditam omittendam esse censet ut excerptam ex pleniore qu. 24 (p. 88, 9—89, 3). quod autem huic ipsi quaestioni 24 locum quaestionis 14 omittendae dare atque hoc modo eam omnibus schematis praeponere vult, minus esse mihi quidem videtur probandum, quamquam b iam illo loco (ad qu. 14) habet picturam ad 24 spectantem textu tamen omisso. tam enim accurate interpres in rerum ordine atque interdum ad verba secutus est Sorani locum cum Mustionis loco congruum II 60, ubi schema „*si in divexum iacet*“ (p. 361, 22 sqq. = Must. qu. 24) statim legitur post illud „*si in naticas sedet*“ (p. 361, 19—21 = Must. q. 22), ut potius ibi (i. e. statim post qu. 22) schema „*in divexum*“ esset ponendum commutatis quaestionibus 23 et 24, nisi haec essent consideranda: schema „*in divexum*“ primum omnium locum obtinuisse vel ideo non credendum videtur, quod Mustio in institutionibus obstetriciis[1]) disponendis strictissime constantissimeque secutus est ordinem antea p. 78—79, ubi de causis[2]) agitur, institutum. ibi autem (i. e. p. 78 et 79) suo arbitrio commutavit schematum ordinem qualem praebet Soranus (II 55, p. 352, 22—353, 2 = *si in divexum iacet*, 353, 3—10 = *si duplicatus fuerit*) ita, ut schema „*duplicati infantis*“ habeat ante „*in divexum iacentis*“. cum vero, ut modo dixi, accuratissime sequeretur in cap. XVIII dispositionem in cap. XVII praescriptam, consequenter ei eadem commutatio erat adhibenda etiam hoc loco p. 88, quo fit ut retinenda esse videatur qu. 24 eo loco, ubi eam habet editor princeps. ceterum l quoque cod. ibi eam praebere videtur. mirum autem illud, quod b iam a capite seriei schematum praebet picturam ad finem paene spectantem, eo facile ex-

[1]) quae cap. XVIII continentur.

[2]) quae cap. XVII exponuntur.

plicari potest, quod scriba vel pictor textu huius quidem schematis deperdito picturam illam servandam, ad quem alium locum appingeret eam in dubio versatus, in initio collocavit, fortasse ne integer schematum ceterorum ordo lacuna turbaretur. quod autem h in fine seriei (post qu. 25) praebet qu. 24 et picturam, ita factum esse potest, ut ad qu. 14 interpolatam atque ex qu. 24 excerptam addere vellet (scil. extra ordinem) textum integrum ac genuinum. ceterum non solum textum habet bis, sed etiam picturas, nam fig. 3 (v. tabb. edition. Ros.), quam interpolatam esse rectissime cognovit Sudhoff (Ilberg l. c. 92), ficta est atque profecta ex fig. 15.[1]) — quae ut paucis omnia complectar, ita res se habere videtur, ut genuinum quaestionum ordinem tradat unus cod. l, cum h secutus codicem b vel codicis b simillimum schema „*si in divexum iacet*" praeponeret toti seriei.

ad p. 86, 16: *ne reliquo corpore infantis plus cludatur.* desiderari videtur subiectum, quod solus quamvis corrupte tradit h: *plus n u t r i x cludatur,* ubi recte iam Wolf corr. *matrix*[2]), quod in textum censeo esse recipiendum coll. p. 85, 10: *plus*[3]) *enim reclinato intus capite orificium matricis obturatur* — nisi mavis cum b l subiectum tacite addendum esse subaudiendumque.

ad p. 87, 13. Delendi sunt unci, cf. Ilberg l. c. 94.

ad p. 88, 2 sqq. Plane incerta est huius quaestionis traditio (Ilberg 94 sqq.). equidem secutus et b cod. optimum et Soranum (p. 362, 2—8) hunc fere textum velim proponere: *volo duobus modis pecus in vulva duplicari. si naticas eius in orificium vulvae invenimus* (*-nerimus* l; cf. Ilberg. 95) *ex superioribus* (= ἄνω Sor. 362, 3) *facta est duplicatio. et* (*sed* b l) *inmissa manu obsetrix* (*manus obs.* l, *obs.* om. b) *retrorsum infantem repellat* (b, *retr. eum re-*

[1]) Ceterum inter se commutandi sunt numeri 14 et 15 in tab. Ros., ut consensus cum numerorum ordine partuum (p. 89: XIV. et XV. partus) efficiatur.

[2]) Similiter *nutrix* et *matrix* confunduntur in cod. l. p. 32, 10.

[3]) *plus* in utroque loco est i. q. μᾶλλον Sor. 360, 16 et 361, 8.

vocet l) *et plantis in orificium correctis* (*eum ad se* add. l) *adducat* (cf. appar. Ros.). similiter enim dicta sunt omnia quae antecedunt p. 85—87 praecepta. – ceterum propterea in b l codd. videtur excidisse qu. 22, quod rursus hoc loco habemus schema per nates dictum. — alterum schema (p. 88, 4) a b omissum Ilberg (p. 95) figura nisus in cod. b depicta (tab. VI[b]) interpolatum esse dicit ex p. 97, 3 (∾ Sor. 353, 5 sq.), nescio an iure. desideratur tamen alterum schema p. 88, 2 indicatum verbis *duobus modis* (cf. etiam *ex superioribus,* oppos. exspectatur *ex inferiori parte* (h) vel tale aliquid), quae verba habet etiam b.

ad p. 88, 14 et 15. Virgulae, non puncta ponendae sunt post *adducat* et *teneat.*

ad p. 90, 19. Haud scio an *iactantes* (b l h, *-ans* Rose) retinendum sit. cf. p. 106, 6: *curabis* .. *eam sic. supinam iactantes* (b l h Rose) . . . *quod foris est* . . . *oportet* . . . *scalpello praecidere.* hoc quidem loco *iactantes* etiam accusativus esse potest de *oportet* pendens, sicut etiam p. 111, 11 (ubi tamen non *iactantes* matricem *retrorsus repellere et in loco suo revocare* debent, sed unus medicus vel obstetrix). sed *iactantes* in codd. traditur etiam p. 118, 3: *supinam iactantes* (*iactans* Rose) *eam accipies fasciam longam.* equidem suspicor, nominativum absolutum[1]) licet sine subiecto illis locis exstare, subiectum autem subaudiendum esse medicum ipsum et ministros, qui „*iactant*“ et teneant mulierem (*ministris* p. 91, 2 (oppos. *qui facturus est* 4). *scarifes* (i. e. medicus scarifet) *et* . . . *artifex* . . . *convertat* p. 110, 5. *ministro* p. 118, 13. 15).

ad p. 93, 11. ⟨*in*⟩ *occipitio* recte addit Ilberg l. c. 97[1]. cf. 93, 7.

ad p. 93, 16. Recte h *sed* omittere videtur. — de *ne* cf. ind. 162.

[ibid. 19. h (sol.)[2]) trad.: *si vero sinagmandine sua caput* eqs., ubi Rose vult *gravedine.* equidem malim *ma-*

---

[1]) v. supra ad p. 73, 6.

[2]) versus 93, 19—24 interpolatos esse a scriptore codicis h ex Sor. p. 368, 3—16 suspicor, cf. supra p. 15.

gnitudine. synagma est et magnitudine vel tale aliquid admodum dubitanter proposuit Immisch coll. 96, 10 *magnitudine collectionis.*]

ad p. 94, 2. Legendum puto *praecisas autem partes in tabula* (l h, *-as* b Rose) *eas* (b l, om. h Rose) *conponimus* coll. p. 111, 11 sq.: *oportet* . . ., *si mox ceciderit* (*matrix*) . . ., *aqua* . . . *diligenter elotam digitis vel spongia rotunda retrorsus eam repellere.* accus. enim absolut. illis locis exstare suspicor, de quo cf. supra ad p. 29, 21. p. 54 sq.

ad p. 95, 7. Praeferendam esse puto lectionem codicis h: *si adhuc ad fundum tenetur* (*in fundo,* om. *adhuc* Rose cum l) coll. p. 94, 13 et 24, 20. saepius enim *in* habere videtur l, ubi cett. *ad*, cf. p. 94, 14 et supra ad p. 7, 14.

ad p. 95, 13. *possit* recte l (om. h, deest b, *possint* Rose): una manus immittitur (vers. 4).

ad p. 96, 12. Delendum esse puto quod supplevit Rose ⟨*ab orificio*⟩. oppositae enim sibi sunt *in proximis partibus*[1]) et *in alto* (vers. 14), sicut infra opponuntur p. 96, 18 *hic in proximo* (sic recte h, *hic* (*hinc* l) *in corpore* Rose cum l, cf. p. 101, 7: *hic in proximo* b l h, *hic a foris* 114, 8) et 97, 22 *in alto.*

ibid. 14. Malim retinere ‚lectionem difficiliorem' *dolores* (l, doloris h, om. b).

ad p. 96, 15: *frequentius tamen organo patefactae mulieris* (*mulieres* l h, deest b) *oculis* (*oculi* l) *videntur.* sic Rose. — si etiam p. 97, 24 *mulieres* (*mulieris* Rose, qui ibi quidem nihil adnotat, sed cf. ea quae supra p. 33 adn. 2 de appar. crit. dixi) habeant codd. (*oculi* pro *oculis* rursus habet l!), nominativ. absol.[2]) suspicer his duobus locis exstare. sunt enim locutiones interpretis: *mulierem organo patefacere* (p. 113, 19. 115, 7) vel *aperire* (II 34 tit.) et *organo loca patefacere* (p. 108, 11), non tamen *collectiones* vel *emorroidas organo patefacere.* favet autem vel maxime illi meae sententiae hic locus p. 113, 19: *organo ergo pate-*

---

[1]) cf. p. 14, 2 *orificium etiam matricis rectum et proximius habentes.* 109, 2 *iuxta proxima loca,* oppos. *intus.*

[2]) v. supra ad p. 73, 6 et 90, 19.

factae mulieres (b l h) *et oculis videri possunt* (sic Rose, *oculis videre possunt* b, *oculi videre non possunt* l, *oculi videre potest causa* h) *et digitis adprehendi.* qui locus priusquam ad illos unde profecti sumus revertamur, accuratius considerandus est quippe qui summi momenti sit ad constructiones illas recte aestimandas. qui ipse emendandus esse mihi videtur. haud enim facile intellegitur quid sit subiectum illius enuntiati (*videri possunt,* v. contextum II 32, 90). *mulieres* non potest esse subiectum, quoniam non mulieres ipsae, sed morbi earum *oculis videntur et digitis adprehenduntur,* cf. p. 96, 15: *collectiones (quae in alto sunt) digito adprehendi non possunt, frequentius tamen ... oculis videntur* (item p. 97, 23). similiter etiam illo loco subiectum erit subaudiendum *clusura* (p. 113, 13. 17) vel *callositas* (113, 17, *callus* 114, 2) vel *orificium* (scil. *clusum.* 113, 15. subiectum est 113, 21. cf. p. 115, 19), et pro *possunt* (b l) scribendum *potest,* quod recte tradit h, omittendum autem quod solus addit *causa*[1]). pluralis enim numerus *possunt* inde videtur esse profectus, quod librarius codicis b pro subiecto habuit *mulieres,* codicis l autem *oculi.* scribendum ergo puto: *organo ergo patefactae mulieres et oculis videri potest et digitis adprehendi.* — sed quomodocumque illa se habent, certo ex illo loco (p. 113) intellegitur, *mulierem* vel *mulieres* esse feminam aegram, non obstetricem inspicientem, quod quidem putavisse videtur editor. non ergo aliter illi loci (p. 96. 97. 113) explicari posse videntur nisi ita, ut dicamus, posuisse Mustionem nominativ. absol. *organo patefactae mulieres,* ut semel posuit ablativ. absol. *organo patefactis mulieribus* p. 115, 7.

ad p. 97, 15—17. Quem locum genuinum esse puto coll. Sor. I 110 et 122 (p. 294, 21—27), ubi de *vulneribus* (i. e. ulceribus) curandis simillima dicuntur. cf. Diosc. I 128: (λάδανον) *cicatricibus decorem facit.*

ad p. 98, 8. Malim retinere formam traditam *herbi* (*ervi* corr. Rose). cf. Georges, *Wortform.* s. v. ind. ad

[1]) Idem h addit *causa* p. 3, 1. *causarum* add. cod. Gesneri et C p. 46, 6.

Cass. Fel. 234. ad Theod. Prisc. 511. — item p. 101, 4 b habet *herbu*, h l *herbi*.

ad p. 100, 18. *humor* recte b l (cf. verss. 3. 8. 11), de *tumore* (h Rose) nihil dicitur. ergo corrigendum est id quod dicit editor ind. 157 (s. *h*).

ad p. 101, 8. Rose scripsit *ad cancra* (*ad cancera* b l, *ad cancer* h). — dissentiunt de genere huius vocabuli grammatici (v. Thes. s. v.). de declinatione haec adnotat Thes. (col. 231, 11): „declinatur *-r -cri* masculine secundae declinationis, *-r- eris* masculine et neutri generis tertiae declinationis“ (seq. exempla). retinenda ergo est codd. b l lectio *cancera* itemque 19 scribendum *canceris* (b l h, *cancri* Rose), quamquam leguntur *cancrum* p. 103, 7, *de cancro* II 23 tit., *cancrum* b l (ubi accus. *cancer* h) p. 113, 2 (v. ind. 151). utraque enim flexio pariter in usu esse potuit.

ad p. 103, 1 sqq. Parum mihi quidem explicare videtur hoc enuntiatum editor (v. appar. crit. ad 2 et ind. 157 s. *hic*). neque enim pro nominativo haberi potest illud *cataplasmatum* (cf. Thes. s. v.), sed gen. plur. est. qui tamen vix ad tam longe remotum vocabulum *virtus* (in vers. 3, ut velle videtur Rose) potest referri. accedit quod et editori mutandum erat *posita* (*inposita* b l h) neque facile intellegitur quid sit „*altitudo eorum vulnerum quae a foris fuerint posita*“. est autem dictum *altitudinem* hoc loco sicut p. 98, 14, ubi *in altitudine* valet idem atque *in alto* (= intus) p. 97, 22. idem locus 97, 22 etiam quomodo hic (p. 103) interpretandus sit ostendit: *si vero interiores partes matricis in alto collectiones habuerint ut . . . sectiones chirurgiae non admittant, efficiendum est ut cataplasmatibus . . . illae collectiones quae in alto sunt, maturentur et rumpantur,* cf. etiam quae seq. et p. 101, 5: *et a foris* (agitur enim de vulneribus in matrice positis) . . . *cataplasma et artofacium inponis,* praeterea 101, 12 sqq. quibus locis collatis apparet hoc loco (p. 103) oppositum esse *cataplasmatum* voci *emplastrorum* (quae spectat ad vers. 1, cum sit emplastrum, non cataplasma, si *medicamina foris*

ab umbilico in iusum inducimus[1]), at non *vulnera a foris posita* opponi *vulneribus intus positis,* quod quidem vult Rose. docere ergo videtur Mustio, eodem modo vim et emplastrorum et cataplasmatum foris impositorum penetrare ad vulnera licet intus posita. — quae cum ita sint, suspicor aut *virtus* (3) aut *vis* (quod mihi quidem praeplacet) etiam post *cataplasmatum* exstitisse, ubi per corruptelam nunc *vel his* praebent b l h. quae mea sententia confirmari videtur *penetrabit* numero singulari, qui secundum lectionem editoris non habet vocabulum de quo pendeat.

ad p. 104, 15. Retinendum est *melilotum et crocum* (b l h), nam et latine et graece utriusque generis sunt nomina illa.

ibid. 20. Haud scio an ⟨*oleo*⟩ sit addendum ante *dulce* coll. p. 26, 2. 43, 16. 52, 7. 81, 18. 112, 11. —

ad p. 107, 4. Recte b (h) habet *hic* (*hi* Rose eum l) *autem foris,* cf. 114, 8. 13. de *hic in proximo* v. supra ad p. 96, 12.

ibid. 9. Legendum erit *de ragadiis* (*-dio* Rose cum codd.) *in matrice positis* (b l, *posito* h Rose), cf. περὶ ῥαγάδων Sor. 370, 13. Aët. 16, 110.

ibid. 10. Haud scio an recte habeat h *ex nimia purgatione* (*ex nimio labore* l, deest b). legitur enim etiam apud Aët. 16, 110 (quem ipsum inspicere Gissae non potui) secundum translationem Wegscheideri germanicam: „*Einrisse am Muttermund entstehen nach schweren Geburten durch die Grösse des Kindskopfes; auch durch reichlichen scharfen Ausfluss*[2]), *der die Genitalien anätzt und wund macht*" (cf. ibid. cap. 66 ab init.). *purgatio* enim apud Mustionem non semper est fluxus menstrualis (κάθαρσις Sor.), sed omnem sanguinis secretionem significare potest, sicut I 86: . . . *quia maternum lac de labore partus et turbore et*

---

[1]) cf, Isid. orig. 4, 9, 11: *cataplasma: eo quod inductio sola sit. emplastrum: eo quod inducatur.*

[2]) Falso latine vertisse videtur Janus Cornarius (cap. 107): *sed etiam ex acrium humorum influxu locos rumpente ac corrodente fieri solent.*

purgatione (αἵματος ἀπόκρισιν Sor. 259, 5; *,Blutverlust'*[1]) translator germanicus) *malum est et pingue et indigestibile.* nescio an non purgatio menstrualis intelligenda sit I 70 (def. Sor.), sed summi momenti est p. 115, 21: *purgatio qualiscumque fieri potest,* i. e. fluxus qualiscumque. — sed etiam menstrua purgatio hoc loco subaudiri potest, cf. Aët. cap. 63 (Wegscheid.). ceterum pro *labore* potius exspectaveris *conatu* (p. 24, 19. 26, 14. 94, 17).

ad. p. 108, 5. Legendum esse puto: *Emorroides raro quidem in muliebri sinu* (h, *in muliebribus* b Rose, *in mulieribus* l) *inveniuntur.* nam contradictio quaedam inesse videtur in scriptura editoris, quoniam collum quoque et orificium matricis ad *muliebria* pertinent. praeterea apud Cael. Aur. (quem et ipsum de Sorano vertisse notum est) chron. 5, 4, 71 legitur: *solent praeterea sicut in podice vel foeminarum sinu aut matricis collo etiam in vesica haemorrhoides generari.* cf. etiam Aët. 16, 111 (Wegsch.) ab init.

ad p. 110, 18. Nescio an supplendum sit *cum ad secundas* ⟨*adducendas*⟩ *in directum conantur.* cf. I 67. II 20, 66.

ad p. 111, 7. Rose praebet: *magnitudo quidem maior est sed ut integrum schema servetur. sed* nullus cod. habet. potius *ita ut integrum* cum h legendum esse puto, quod vel maxime convenit usui Mustionis (cf. b: *maior is*⟨*t it*⟩*a ut* eqs.).

ibid. 17. Recte b tradit *subposito* (*adposito* cett. Rose), cf. ὑποθέσει Sor. 374, 23. Cass. Fel. p. 127, 5: *supposito clunibus cervicali.*

ad p. 112, 1. Rose praebet cum codd.: *ungenda est mulier ut* (l h, *et* b) *exinanitis stercoribus sic mulier revocetur.* sed non mulier revocanda est, sed matrix (cf. 111, 15, 112, 5—7. Sor. 375, 22), neque mulier unguenda, sed iterum matrix (cf. Sor. 375, 14 ἐλαίῳ πολλῷ χλιαρῷ καταντλήσαντα τὸ προπεπτωκὸς τῆς μήτρας ἐπὶ πολύ). ergo sic legendum puto: *ungenda est matrix et* (b, *ut* l h) *exinanitis stercoribus*

[1]) cf. ***purgatio virium*** (***quae venere efficitur***) Cael Aur. de salutaribus praeceptis fol. 5^b 9 (Anecd. Ros. II 191). — ***depurgare*** = ***schwächen*** (Cael, Aur.), v. A l L XII 183. 326.

(Sor. 375, 6) *sic matrix revocetur. deinde* (i. e. tertia die, cf. Sor. 376, 7) *encatisma* eqs.

ad p. 113, 9. Rursus (v. supra ad p. 13, 7) *conglutinare* intransitive usurpatum tradunt blh (συμφυῇ Sor. 378, 13), quod ego quidem restituere velim, etiamsi huius usus non exhibet exempla Thes.

ad p. 113, 20: v. supra ad 96, 15.

ad p. 114, 12: Rectius h tradere videtur *inpediantur* (*teneantur* bl), cf. verss. 14. 16. 20.

ad p. 115, 15: v. supra ad 39, 11.

Appendix verborum notabilium.

De nomine Mustionis. Quod pertinet ad nominis Mustionis veriloquium, haec verbi substantivi inveni testimonia atque etyma contradictionis dubitationisque plena:

1) mustio a musto. Isid. orig. 12, 8, 16: *bibones* (*bibiones, i* suprascr. m. 2 Monac.) *sunt, qui in vino nascuntur, quos vulgo mustiones a musto appellant.* similiter Joannes de Janua (v. lexic. Cangii s. *Mussio*): *muscio dicitur quasi mustio, quod mustum bibat, item et bibio, onis.* Sunt autem *bibones* (vel *bibiones* vel *bibrones*) proprie *culices nascentes in vino* (picard. hodie *biberons* = *Schnake, Mücke*), translate *homines bibaces,* v. Cang. s. vocc. et Thes. s. *bibo* 1968, 10: „nomen vermiculi, Gloss. III 258, 34 οἱ οἰνοχώνωπες *bibrones*". adde praeterea Gloss. V 187, 6: *culice muscione.*

2) muscio a musca. Apud Papiam (v. Cang. s. *Muscio*): *Musciones, vulgo, a muscis vocantur: iidem et bibiones.* idem Papia addit verbis Isidori supra citatis (v. Cang. s. *Bibiones*): *id est musciones, a bibendo,* ubi Cangius ipse: „Gallis *moucherons*".

De utraque ratione etymologica recte ut mihi quidem videtur iam egit Diez, Etymol. Wörterbuch der roman. Sprachen IIa s. (ital.) *Moscione* (ven. *musson,* dimin. romagn. *musslen,* limous. *moustic*): „Ein kleines geflügeltes Insekt; nicht von *musca,* sondern von *mustum,* weil es zur Zeit des Mostes in den Weinkellern entsteht, *musca cellaris* bei Linné (s. Morri Voc. romagn.), daher *moscione* auch *Säufer* bedeutet. Schon Isidorus kennt das Wort als ein volksübliches" (sequitur testimonium supra s. 1 citatum).

3) *mussio* vox arabica: *„est qui in vino nascitur.* Ita Glossae Arabico-Lat. Supra in iisdem: *Bibones dicuntur qui in vino nascuntur*" (Cang. s. *Mussio*). —

Sinus muliebris (vel *mulieris*, v. supra ad p. 8, 15). de medicorum usu vocis *sinus* technico nihil adhuc exhibent lexica, Forcell. dubitanter s. *sinus* = *uterus* affert locos huc spectantes Cael. Aur. chron. 5, 4, 62 et 71. est autem translatum *sinus muliebris* de graecorum medicorum „κόλπος γυναικεῖος", latine i. q. *cunnus* (vulgo *connus* I 12, v. supra ad p. 9, 4), nostris medicis *vagina* vel *vulva*[1]), cf. Sor. 181, 24 τὸ δὲ γυναικεῖον αἰδοῖον καὶ κόλπος ὠνόμασται γυναικεῖος. 375, 24 ἐν τῷ κόλπῳ τοῦτ' ἔστιν ἐν τῷ αἰδοίῳ. Cass. Fel. 78 (p. 191, 3) *in sinum mulieris infundes, quem Graeci colpon appellant.* sic haec vox legitur I 12. 12a. 35. II 10, 40. 21, 67. 68. 30, 82 (v. supra ad p. 108, 5). 31, 86. 87. 89. 33, 91. — alia notione (= *basis, venter*) occurrit I 11. II 2, 21 *sed si basis (matricis) qui sinus dicitur* (= κύτος[2]) Sor. 316, 21). 18, 60 (p. 89, 9) *obsetrix omnes* (scil. *fetus*) *in sinum vulvae repellat.* — aliter rursus (= περιπλοκή Sor. 215, 12) I 38: *varietatem sinus habebit (hedera),* —

Pes, manus (cf. supra ad p. 37, 5). saepe translator vocem *pedes* usurpare videtur, ubi *femora*[3]) exspectas, et similiter *manus,* ubi *bracchia*[4]). legimus enim p. 22, 5: *conduplicatis illic pedibus et apertis,* quae verba contradictionem quandam continerent, si proprie ea intellegeres nec *femoribus* mente suppleres. nam ad *conduplicatis* vocem *pedibus* propria vi referendam esse, ad *apertis* autem translata[5]) ostendunt luce clarius haec verba Sorani p. 238, 8: συνηγμένων μὲν τῶν ποδῶν, διεστώτων δὲ τῶν μηρῶν. — ceteri loci sunt hi: p. 23, 10 (*obsetrix sedeat . . .*) *in aliquantum apertis pedibus suis* coll. Sor. 239, 25: καθεζέσθω τοίνυν

[1]) *vulva* apud Mustionem (v. ind. 167) semper e. i. q. *uterus, matrix,* sicut omnino in antiquitate, v. lexx.

[2]) cf. de hac voce Ilberg l. c. p. 60[1].

[3]) *femora* apud Must. semper valet nostrum ‚*Schoss*': p. 22, 9. 30, 2. 36, 8. 37, 5.

[4]) Apud Must. omnino non occurrit.

[5]) Monet me Immisch praeceptor doctissimus, hunc usum inveniri iam apud Martialem idque in loco ad medicos spectanti: 11, 71, 7: *protinus accedunt medici medicaeque recedunt tolluntur que pedes: o medicina gravis!* conferre iubet praeterea 10, 81, 4. —

ἡ μαῖα διεστῶτας τοὺς μηρούς ἔχουσα. — eodem modo intellegendus est locus p. 25, 19 (def. Sor,). — similiter *manus* pro *bracchium* usurpatur p. 30, 5: *deinde coniunctis manibus lateribus eius et pedibus coniunctis,* cf. Sor. 255, 13 μετὰ δὲ ταῦτα παραβάλλοντα τοὺς μὲν βραχίονας τοῖς πλευροῖς, τοὺς δὲ πόδας ἀλλήλοις. — ad p. 37, 6—7 (*manus — pedes,* v. supra ad p. 37, 5) cf. Sor. 276, 12: εἶτ' ἐπὶ ῥάχιν ἀνακλάτω τὰ κῶλα. ibid. 18: ἀμφότερα τὰ σκέλη . . . . μετὰ ἀποτάσεως συνεχέτω, διὰ δὲ τῆς ἑτέρας (χειρὸς) ὅλον κατὰ μῆκος τριβέτω. — p. 38, 8: *manibus acceptum infantem* coll. Sor. 280, 4 προσστερνισαμένη ταῖς ἀγκάλαις τὸ βρέφος. — pariter intellegendum erit *ne* (*infans*) *manum aut pedem torserit* p. 39, 14. — p. 41, 1 *manibus nutricis retentus* coll. Sor. 384, 23 τῆς τροφοῦ διακρατούσης ἐν ταῖς ἀγκάλαις αὐτό. — p. 55, 3 *ita ut pes mulieris qui huic tumori*[1]) *proximus est consensum habeat doloris* coll. Sor. 316, 11 τὸ κατ' εὐθὺ συμπάσχει σκέλος. — non distinguere interpretem πόδας et μηροὺς etiam ex p. 56, 13 elucet, ubi *acra* (ἄκρα, i. e. extremae corporis partes) scripsit vertens σκελῶν καὶ καρπῶν Sor. 318, 10. (contra recte habet *manus ac pedes* p. 58, 12. 59, 24, ubi Sor. τῶν ἄκρων p. 320, 17). — p. 68, 9 *ita ut pedes contortos supra se invicem habeant* coll. Sor. 334, 24 συναγωγή τε τῶν μηρῶν καὶ διαπλοκὴ ⟨χιοειδής⟩. — p. 74, 14 *pes ipse qui contra est* coll. Sor. 347, 2 τοῦ καταλλήλου μηροῦ. — passim haec vis *pes* = *femur* occurrit in cap. II 17, unde haec affero: p. 78, 12, *iunctis pedibus . . . vel etiam ipsis patentibus,* cf. σκέλη Sor. 352, 15. μηροῖς ibid. 11, 13. p. 78, 15 *in orificium matricis pedes habeat* coll. Sor. 352, 18 μηρούς. — p. 85, 7—86, 9 semper *manus* dicitur, ubi Soranus habet et χεῖρα et ἀγκῶνα p. 360, 15—361, 4. — p. 87, 11 *correctis pedibus* ∾ τῶν σκελῶν ἁπλωθέντων Sor. 361, 18. — luce clarius duplex illa notio vocis *pes* intellegitur ex p. 91, 1: *curvatis illic pedibus eius et patefactis spondis lecti pedes eius infiges* coll. Sor. 363, 5 διεστώτων δὲ τῶν μηρῶν καὶ συνηγμένων πρὸς τὸ ἐπιγάστριον τῶν ποδῶν ἐπὶ τοῦ ἐνηλάτου στηρίζειν. — p. 111, 11 pedibus ∾ μηρῶν

[1]) Agitur de tumore ad orificium matricis posito!

Sor. 374, 18. ibid. 16 *pedem supra pedem obvolvere* ∾ συνάγειν τοὺς μηρούς καὶ περιπλέκειν Sor. 374, 21 coll. 376, 3 ἐκτείνειν τε τὰ σκέλη τῆς γυναικὸς ὥστε τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ἐπικεῖσθαι. — huc spectat etiam p. 118, 8 *ita ut patefacti pedes ventri eius cohaereant* (def. Sor.).

cum nido hirundino (*erundino* b, *erundinis* l, om h) *trito* (p. 44, 6). adiectivum *hirundinus* in lexx. non exstat, quae sola exhibent *hirundininus* et *hirundineus*. de forma *hirundinus* et omnino de huius remedii (quod Soranus non habet) usu cf. Mulom. Chiron. § 325. (AlL X 257).

mamma = *nutrix* (ad p. 40, 3). cf. Heraeus AlL XIII 151 sq. corrigendum est ibid. 163[10]: non pro *obstetrix*, sed pro *nutrix* vocem *mamma* usurpat Mustio. cf. etiam ibid. 172.

micina (p. 43, 1). Recte iam Paucker (Rh. M. 38, 313) hoc deminutivum esse a *mica* derivatum suspicatus est. quam sententiam confirmavit W. Meyer-Lübke (Wiener Stud. 25 (1903), 103) qui ex Gloss. profert: *psiches*: *miccinae* III 87, 20. *psiches: micinas* III 164, 53. quamquam lemma non est ipsum quoque deminutivum (ψιχίον), sed ψίξ vox propria (vice versa legitur *mica:* ψιχίον Gloss. II 497, 25. 523, 22. 545, 65), tamen hoc vocabulum latinum in *-ina* (*-inus*[1])) exiens deminutivum esse probat hoc argumento: *scruta vel scutra olla femininum est, diminutive scrutinus* (Gloss. V 515, 11). idem ex lingua italica affert *fare a miccino con qc.* (parce et restricte uti aliqua re) et *dare a miccino* (cum parsimonia depensare). — quibus argumentis ex hoc loco addi potest id, quod etiam Soranus habet deminutivum: ψιχίοις p. 288, 14. —

titina (*aquam . . .* (*infanti bibere dabimus per*) *vasculum vitreum ad similitudinem papillae formatum et pertusum, quod rustici ubuppam appellant aut titinam* p. 43, 4). quam vocem Paucker (l. c. 313) derivare vult de *dida*. equidem puto duas exstare huius vocis explicandae rationes inter se diversas, quarum una est haec: *titia* vocem ex

---

[1]) De hoc suffixo cf. etiam AlL XII 476.

Gloss. II 198, 43 protulit Heraeus (AlL XIII 164 sq.), qui eam i. q. τίτθη, germ. *Zitze*, itel. *tetta* esse suspicatur, cum ipsa glossa[1]) praebeat ζίζιν[2]), qua cum voce recte confert Heraeus deminutivum ζίζιον (trad. ζειζιν) Gloss. III 12, 50: „μαστοί *mammae*, ζίζιον *dida*". ibid. 51 „βιζιν *ubera*", cf. ibid. 311, 19 „βίζια *mamillae*")[3]). potest ergo *titina* (ζίζιον) ita deminutivum esse vocis *titia*[4]) (ζίζις), ut *micina* (ψιχίον, v. supra) est deminutivum vocis *mica* (ψίξ). cui sententiae favet vel maxime id quod de notione vocis *titina* colligi potest ex Additamentis Ps. Theodori ad Theod. Prisc. (p. 268 sqq. Ros.), ubi inter praecepta ac remedia superstitionis plena legimus haec (p. 276, 26, de fluxu sanguinis narium): *candelam tollis et naturam viri ligabis, mulieri capitellum* (i. e. *papillam*) *de titina*, coll. p. 275, 26 *mulieribus vero de uberibus capitellum ligaverunt*. — quamquam illa omnia inter se cohaerere verisimillimum est, tamen etiam alteram illius vocis explicandae rationem exponere mihi liceat, ad quam maxime deductus sum voce *ubuppa* (b) antecedenti. si enim *ubuppa* significat *upupam* (l, v. infra) avem, *titinam* quoque esse avem vulgo vocatam (*quod rustici ubuppam appellant aut titinam!*) in suspicionem venire potest. quae augetur his duobus argumentis quae exhibet Bücheler (AlL II 118 sq.): *titi columbae sunt agrestes*, Schol. ad Pers. 1, 20. *palumbes quas vulgus titos vocant*, Isid. orig. 12, 7, 62. quibus addenda censeo haec: Georges *titus* non affert, sed v. s. *titiare*. Forcell. s. v. adnotat: est nomen avis quae et *teta* et *titius* dicitur: Varro l. l. 5, 15 *sodales Titii dicti a titiis avibus, quas in auguriis certis observare solent*. Serv. ad Verg. Ecl. 1, 58 *columbae*[5]) *quas vulgus tetas vocant; et non dicuntur latine, sed multorum auctoritas*

---

[1]) „*titia* κρέα<ς> νηπίων ὃ λέγουσι ζίζει".

[2]) quod vult Bücheler pro tradito ζίζει.

[3]) Male Du Cange, qui et ipse illam Gloss. II 198, 43 affert, *titia* derivare vult de graeco τυτθός, νήπιος, *parvus*.

[4]) Etiam *dida* derivandum videtur de *titia* („erweichte Form", Heraeus l. c.); cat. *dida* = *Amme*, sard. *dida*, *ddedda* = *Zitze*.

[5]) cf. Isidor.

latinum facit (addit Forcell.: fortasse a φάττα)". restat ergo hoc alterum, ut dicamus *titina* deminutivum esse non de *titia*, sed de *titus* (*titius, teta* = *tita*) voce rustica derivatum. — cui dubitationi lucem non affert ‚Moschion' qui vertit sic: ὅπερ οἱ ἄγροικοι σταφυλίδα προσαγορεύουσιν ἢ πατζουνάριον (quam vocem pessime sic explicat E. A. Sophocles, Greek Lexicon of the Roman and Byzantine Periods: „πατζουνάριον = σταφυλίς, Ps. Moschion 116"). —

ubuppa (b, *upupa* l, *ut tuba* h, unde C *quod rusticitas tubam appellant*). *upupa* est avis a Graecis ἔποψ vocata (*Wiedehopf* a nobis). quae vox secundum lexx. semel translate usurpatur a Plaut. captiv. 1004: *haec upupa* (Georg. *‚dieser Steinepicker'*, subaudienda est securis lapidaria), quae vis huc spectare non potest. crediderim potius, si omnino haec vox recte tradita est, vasculum illud propter similitudinem quandam upupae avis in sermone populi ita vocatum esse. fortasse autem in lectione codicis b habes scripturam vulgaris[1]) vel infantilis sermonis conservatam (cf. ital. *babbo* pro *papa*), sed omnino in hac voce aliquando consonantes attenuatas esse ostendunt linguae romanicae: ital. *bubbola*, hisp. *abubilla*. — eiusmodi πεφιλοτεχνημένης θηλῆς (Sor. 288, 22) mentio fit in papyro s. II p. Chr. n., ubi παιδοτρόφις vocatur (Sudhoff, Stud. z. Gesch. d. Medizin V/VI p. 151). depictum invenis tale vasculum (ex terracotta quam nos dicimus factum aetate ante Chr. n., v. Sudhoff. p. 295) ibid. tab. III 1.

Verbi *refrigerare* apud Mustionem intransitive[2]) usurpatur partic. praes.[3]): *in cubiculo brevi et obscuro et mediocriter refrigeranti* p. 68, 6 (ἐν οἰκήματι μικροτέρῳ καὶ σκοτεινῷ καὶ μετρίως ἀναψύχοντι Sor. 334, 20). qui usus bis occurrit apud Chiron. (v. ind. Oder. 421), qui habet § 276: *loco refrigeranti et tenebricoso*, ubi Veget. correxit secundum usum classicum ut solebat: *loco refrigerato et*

---

[1]) cf. Diehl, Vulgärlat. Inschrr., ind. III (p. 163) sub *„p zu pp, b"* etc.

[2]) v. supra ad p. 3, 14.

[3]) sicut apud Soran. — de part. praes. intransitive dictis cf. Wölfflin AlL X 9.

opaco (AlL XII 556). sed ceterae etiam huius verbi formae intransitive (et transitive promiscue) occurrunt in inscriptt. Christianorum, v. Kaufmann, Die sepulcralen Jenseitsdenkmäler der Antike und des Urchristentums, 1900, p. 53 adn. 1: *refrigerare* apud Eccles. = ἀναπαύεσθαι, *refrigerium* = ἀναψυχήν. ib. adn. 2: *quiescite et refrigerate*, ruhet und erfrischt euch (Pass. Perpet. et Felicit XIII). p. 60 adn. 1: *hoc peto . . . sodalis ut senebilie refrigeretis.* CIL VI 2160 *huius loci refrigerans.* p. 61: *refrigera cum spirita sancta*, schöpfe Erfrischung (im Paradiese mit den Heiligen Gottes). — sed transitive: *spiritum tuum deus refrigeret; refrigera deus anima⟨m⟩*, v. p. 54 sqq. — addi possunt e Gloss. haec: *refrigera* ἀνάψυχον III 125, 54; ψύχρισον ibid. 416, 34. *refrigerare* ἀγαλλιάσασθαι (sich lebhaft freuen, Eccles.) II 171, 3. *refrigerari* ⟨ἐ⟩ψύχρισα III 416, 35. —

resumere intransitive legitur p. 72, 10 (= *se, corpus, vires resumere*, ἀναλαμβάνειν, v. ind. 164): *ut misera mulier resumere possit et pristinum sucum corporis accipere* (alibi semper transitive, p. 57, 1. 60, 21, 66, 20. 76, 11. 14 al.). cf. Löfstedt, Beitr. zur Kenntnis d. später. Latinität, p. 90 sq: *reficere = se reficere, recreare = se recreare.*

mittere 1) = *immittere: ut facillime manus mittere possit* p. 23, 6. item 24, 17. *digitis . . naribus vel ori inmissis . . . deinde minimum digitum in anum infantis missum meconium tollere* p. 29, 19 (similiter *mittere* et *inmittere* simul p. 36, 11 et 17, *digito inmisso* p. 62, 7). *mittere* praeterea p. 70, 8 *(in furno)*, 64, 22 *(digitum miserit in orificium)*, 86, 12 (*missa manu* (b h, *inmissa l*), cf. *inmissa manu* 87, 7). 95, 5. 118, 6. — 2) = *admittere:* II 19 tit., passim *embryulciam mittere = embryulciam adhibere* p. 90, 7. — quas duas significationes esse latinitatis posterioris[1]) (‚simplex pro composito') statuit Löfstedt l. c. 82. *mitto* = ἐμβάλλω = *immitto:* AlL VIII 543.

curatio (*post curationem corporis* p. 14, 9) est vocabulum artis medicae, ἀποθεραπεία Sor. 201, 13. quid sit

---

[1]) cf. francog. *mettre.*

docuit Huber (in translatione Sorani p. 23 adn.): „*Unction* (ἀποθεραπία), *Galen de sanitate tuenda* III, *wurde als eine Art Massage zur Förderung der Digestion vielfach angewendet. Oribasius* I 482 (περὶ τρίψεως ἀποθεραευτικῆς).“ Mustio aliis locis habet *perunctio* (p. 16, 15. 26, 4. 32, 12. 44, 17. *peruncta* 51, 11. 60, 13). — illam significationem specialem non habet Thes. (s. v. II A), sed huc spectare videntur testimonia ea quae sub „interpretationis incertae“ titulo ex Itala et Ecclesiaticis excripsit ibid, 1476, 72—77: *praedicate curationem* Itala, θεραπείαν, ubi Vulg.: *vocate coetum,* eqs.

Saepe *ipse* apud Mustionem pro articulo (ὁ, ἡ) substantivo aut praeponitur aut postponitur (cf. Wölfflin AlL IV 271. Meister Rh. M. 64, 389. Haag § 123. Rönsch Ital. 422. Semas. Beitr. II 26. Wölfflin-Meader AlL XI 392 sq. XII 365. 473 sqq.), numquam *ille,* bis *idem* (AlL XII 474): *ne forte eadem matrix in fervura sit* p. 77, 10 (cf. *ipsius matricis adductio* 24, 9. *ipsa matrix* 59, 2. *in ipsa vulva* 99, 6, al. sim.); *sacellis calidis easdem partes contegimus* 82, 6 (cf. *partibus ipsis*[1]) 25, 15. *partes ipsas* 26, 1. 50, 20. 53, 15. 69, 12. 14. 80, 21. *(ipsas partes)* 94, 7. 111, 18. sim. *loca ipsa* 17, 16. 22, 13 al. saep.). —

vel nonnullis locis ita usurpatur, ut maxime cum nostro ‚*wenigstens*‘ congruere videatur: *si fieri potest, interponenda est unius diei abstinentia. si non potest, interim vel parcitas sit cibi* p. 16, 14. (*si nutricis lac fuerit exterminatum, infans*) *alterius mammae lacte accipiat, vel si non fuerit altera, vel eius quae lactat competenti diligentia colligatur* p. 34, 5. *si vero non potuerit totum exire* (*pecus mortuum ex ventre matris*), *vel in quantum exit, sic praecidendum est ut paulatim omne corpus adduci* ⟨*possit*⟩ p. 93, 2. *hac enim diligentia si mulier in totum curari non potuerit, vel non gravissimis doloribus torquebitur et sine tormento diutius vivere potest* p. 105, 10.

---

[1]) *in ipsis partibus* p. 117, 9 = ἐν τοῖς γυναικείοις αἰδοίοις Sor. 379, 2, cf. Ilberg p. 82[1].

primariola (b l h p. 77, 7): quam vocem intellegi non posse dicit Paucker Rh. M. 38, 312. sed idem esse videtur ac πρωτοτόκους Sor. 348, 12. 349, 2. ‚Moschion‘ (p. 92 Dew.) habet προτεύουσα. cf. etiam Cang. s. v. et Cass. Fel. 71: *pullum de primario fetu.*

orthocathemene (*et quasi orthocathemene sedeat* p. 59, 23) est vox graeca rarissima, quam Thes. ling. graec. non approbat nisi de Paul. Aegin. 6, 66, v. s. ὀρθοκάθευδος (sic!).

Index grammaticus.

[Numeri significant paginas dissertationis. intr. = intransitive, refl. = reflexive.]

Vita.

Natus sum ego Ioannes Medert a. d. VIII. Id. Oct. a. 1889 in vico Hopfgarten in provincia Hassia superiore sito patre Ioanne parocho, matre Maria e gente Loos, quibus gaudeo superstitibus. fidei addictus sum evangelicae. primis litterarum elementis in ludis vicorum Sellnrod et Wallerstädten instructus et a patre in sermonibus francogallico et latino eruditus in quartam receptus sum classem eius scholae quae *Höhere Bürgerschule zu Gross-Gerau* dicitur, deinde a classe secunda inferiore adii Gymnasium Novum Darmstadtiense. vere anni 1907 maturitatis testimonium adeptus Lausonium in Helvetiam me contuli, ut per sex menses et studiis philologicis classicis me darem et scientiam linguae francogallicae accuratius excolerem. ubi inprimis me docuerunt viri doctissimi Vallette Meylan-Faure André. deinde per tria semestria Monachi moratus proseminariis et scholis interfui virorum doctissimorum Otto Drerup Weyman Crusius Rehm, praeterea scholas adii Vollmeri Krumbacheri Woltersii Guettleri Simonis Hartmanni. vere anni 1909 ad studia perficienda Gissam me contuli, ubi per sex menses in proseminario versatus egregia Immischii et Koertei humanissimorum virorum benevolentia auditor ad seminarii exercitationes sum admissus, cum bis quominus sodalis ordinarius fierem impeditus essem valetudine. factus autem sum auctumno anni 1910. praeter illorum scholas et exercitationes Gissae adibam virorum doctissimorum Behrens Walde Watzinger Süss Siebeck Thomas.—Quibus omnibus praeceptoribus quantum debeam semper memoria tenebo. gratiam autem quam maximam habeo semperque habebo Immischio Koerteo Behrensio, qui saepe opera et consilio me adiuverunt, inprimis Immischio qui cura quasi paterna mihi consuluit. summa liberalitate et benevolentia in dissertatione mea conficienda sublevatum me esse etiam a bibliothecariis Gissensibus grato animo confiteor.
